Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/sacerdos0000padu_u2i8

BÉZIERS
6, Rue du Bon Pasteur
C 36

# SACERDOS

RITE INSTITUTUS

PIIS EXERCITATIONIBUS

MENSTRUÆ RECOLLECTIONIS.

# SACERDOS

RITE INSTITUTUS

PIIS EXERCITATIONIBUS

MENSTRUÆ RECOLLECTIONIS

AUCTORE

P. ADULPHO PETIT, S. J.

TOTIUS OPERIS
EDITIO QUINTA ELIMATA.

246.731
LIBRARY
P445
Coll

SERIES PRIMA.

Typis Societatis Sancti Augustini,
DESCLÉE, DE BROUWER ET SOCII.
Brugis et Insulis. — 1907.

45208

Ego Josephus De Vos, Præpositus Provincialis Societatis Jesu in Belgio, potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Francisco Xaverio Wernz, ejusdem Societatis Præposito Generali, facultatem concedo, ut opus cui titulus : *Sacerdos rite institutus piis exercitationibus menstruæ recollectionis*, constans quinque voluminibus, a Patre Adulpho Petit, S. J. conscriptum, et a deputatis censoribus rite recognitum atque approbatum, post plures jam factas editiones iterum ex integro typis mandetur.

In quorum fidem has litteras manu mea subscriptas et sigillo meo munitas dedi.

Bruxellis, die 16 Novembris 1906.

Locus sigilli. Josephus De Vos, S. J.

---

Imprimatur.

Brugis, 10 Januarii 1907.

H. Lahousse, *can. lib. cens.*

# COMMENDATIO

OPERUM R. P. ADULPHI PETIT, S. J.

A SUMMO PONTIFICE

# PIO PAPA X

POST OBLATUM EXEMPLAR « TEMPLI SPIRITUALIS »

ET

## Editionem ELIMATAM « Sacerdos. »

—※——※—

Ex Vaticano, die XXIII Januarii 1909.

REVERENDE PATER,

Læto libentique animo id tibi renuntio, Beatissimo Patri perjucundum exstitisse duplex opus quod obsequenter Ei obtulisti, quorum alterum « Sacerdos rite institutus, » alterum « Templum spirituale sacerdotis » inscribitur. Hæc autem opera eo consilio in lucem a te prodita sunt, ut per ea Sacerdotes ad vitæ perfectionem adducantur; quo nihil Sanctitati Suæ optabilius aut potius est, quippe quæ, ut semper, etiam nuperrime ad Clerum singularem fervidamque exhortationem miserit. Quare Summus Pontifex finem in istis operibus conscribendis tibi propositum, consiliis vero sapientibus suis omnino consenta-

neum, summa laude ornare dignatus est, et Deo Optimo Maximo vota fervida facit ut ex istorum operum meditatione pro alenda anima sua Clerus universus copiosissimum cibum sumat et, tamquam ex fonte aquæ vivæ, saluberrimum potum hauriat, ita ut sanctum se ipsum efficere possit, fideliumque animabus ad optima pascua agendis, sanctitatis exemplo, aptior in dies fiat.

Quod dum Sanctitas Sua enixe deprecatur, tibi Apostolicam Benedictionem, caritatis Suæ pignus et potens auxilium ad alia tantæ utilitatis opera scribenda, effuso animo, impertitur.

Hoc autem augusto munere functus, gratias ipse quam plurimas tibi ago pro altero exemplari utriusque operis quod mihi perhumaniter obtulisti, et sensus existimationis in te meæ confirmo atque tibi permaneo

Addictissimus

R. Card. Merry del Val.

## Epistola Em. Cardinalis RAMPOLLA ad R. P. Ad. Petit.

—⁂—

REVERENDE PATER,

Pergratum accidit Beatissimo Patri opus nuper a te in lucem editum Eique observantissime oblatum. Nam, præterquam quod tua in illo pietas elucet, et lucrandarum Christo animarum studium, eo spectat præcipue, ut Sacerdotes rite formet et imbuat tum ad seipsos pro sacerdotali munere moderandos, tum ad alios ad exercitia virtutum adducendos. Haud minus autem gratiæ tuæ litteræ evenere, quibus perlectis Sanctitatem Suam gaudere oportuit quod uberrime, opitulante Deo, institutum menstrui secessus in sacri cleri utilitatem a te adeo sit propagatum. Igitur Augustus Pontifex et gratias tibi agit de oblatis voluminibus, et de fructu quo Deus labores tuos auget, gratulatur. Ut autem impigre, pro ætate et viribus, tua cœpta prosequaris et ut paternæ suæ caritatis testimonio læteris, apostolicam benedictionem tibi amantissime impertitur.

Hæc dum Pontificis nomine significo, sensa quoque sinceræ existimationis meæ testor, ac fausta quæque a Deo apprecor.

Romæ, die 2 Maii 1896.

Addictissimus
M. Card. RAMPOLLA

# PRÆFATIO.

*PETENTIBUS a me non paucis sacerdotibus ut in unum volumen colligerem meditationes et examina quæ in periodico parisiensi* Études ecclésiastiques *pro recollectione menstrua singulis mensibus proposui, minime renuendum existimavi. Quapropter dilecto Clero humiliter offero hoc meum qualecumque opusculum.*

*Generatim pro unaquaque meditatione eam propono materiam quæ magis conveniat statui sacerdotali, nec nisi raro inveniatur in iis quibus uti solemus meditationum libris. Hanc autem materiam adeo fuse tractavi, ut eam quisque, pro libitu, per plures dies meditari possit. Cumque jam in more positum sit ut plures sacerdotes in unum conveniant ad peragendam recollectionem, utile judicavi ita meditationes concinnare, ut inservire possint ad piam lectionem in communi faciendam. Plerumque igitur perspicuitati orationis magis studui quam dicendi brevitati.*

*Primæ cujusque recollectionis meditationi alteram sæpe adjunxi quæ sit velut quædam ad mortem et ad judicium præparatio. Prior magis speculativa erit, altera magis practica.*

*Nonnulli etiam rogaverunt me ut meditationibus adderem aliquod examen speciale circa virtutes sacerdotum et eorumdem munera ; quod, Deo opitulante, libenter præstiti.*

*Tandem allocutionem quamdam ad sacerdotes de præstantia et praxi recollectionis menstruæ operi meo præmisi, duasque formas illius* examinis status, *quod valde utile est in omni recollectione instituere.*

*Ordinem meditationum et examinum eumdem servavi, quo eram jam antea usus in periodico supra memorato. Poterit unusquisque in recollectione menstrua facile ea exercitia reperire quæ sibi magis convenire videantur.*

*Faxit Deus ut his exercitiis multi sacerdotes juventur ad rite, sancte et fortiter obeunda sublimia simul et formidanda munera sanctissimæ suæ vocationis.*

## ALLOCUTIO AD SACERDOTES.

De præstantia recollectionis menstruæ.

DUM nuper versabar inter vos, tempore annui secessus, afficiebar ingenti consolatione videndo vestram pietatem, fervorem et generositatem. Paratos enim vos videbam ad omnia, sancto ardore succensos, ad apicem vestræ sanctæ vocationis pervenire gestientes. In omnibus intelligebam esse optimam voluntatem et animi dispositionem ad sacerdotalem perfectionem attingendam.

Sed eheu, tacitus mecum reputabam : Egregia hæc animi sensa, per sacra exercitia nunc concepta, brevi in mediis occupationibus ministerii, sua natura sanctissimi, paulatim forsan evanescent. Comedent alieni robur animæ (Osee. VII, 9), et paulatim, ut experientia docuit, religiosa corda sordescent.

Et re quidem vera, singulis fere annis, vix aliquot mensibus elapsis a secessu sacro, cogimur jam ingemiscere et tundere pectus, quia deprehendimus nos iterum deficere in multis. Et unde oriuntur defectiones nostræ? Ex multiplici nimirum fonte. Deficimus enim ex naturali quadam corporis et mentis fatigatione, quæ facile nos invadit post diu-

turnum laborem, post multas sollicitudines, post multas pugnas adversus passiones nostras et tentationes non raro continuas. Deficimus etiam ex quadam mentis inconsiderantia ; de ipsis enim sacerdotibus dixit Spiritus sanctus: « Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde.» (Jer., XII, 11.) Deficimus tandem ex debilitate illius orationis qua petimus a Deo auxilium tantopere nobis necessarium.

Necesse igitur est ut spiritus renovetur et in integrum restituatur; quod quidem fit per *menstruam recollectionem*. Cum enim plures sacerdotes singulis mensibus conveniunt in unum,obediunt Domino JESU dicenti: «Venite seorsum in desertum locum et requiescite pusillum.» (Marc., VI, 31.) O quam bonum et quam jucundum sic fratres habitare in unum, vel per horam, cum JESU, Domino suo, Patre suo amantissimo ! Ex tali sane consortio renascuntur vires,resumuntur animi, abjicitur tristitia, cor dilatatur. Adde quod hac occasione perpendimus aliquam magnam veritatem, et inspicimus latebras animæ cum lucernis, ut detegamus insidias quas in nobis struxit hostis, atque amoveamus a nobis omnem causam desolationis.

Tandem oramus, eoque efficacius oramus quod oratio nostra fit in communi. Dixit enim Dominus JESUS : « Iterum dico vobis quia, si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui in cœlis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo,ibi sum in medio eorum.»(Matth.,XVIII, 19, 20.)

Ergo recollectio menstrua, in conventu communi peracta,aptissima est ad occludendum fontem nostrarum defectionum.

Verum quidem est, bonum sacerdotem nullum transmittere diem absque aliqua recollectione; quotidie enim meditatur, examinat conscientiam, libellum pium legit. Sed experientia docuit hanc recollectionem quotidianam non eam esse quæ possit removere cor sacerdotis ab omni dissipatione ; ex quo fit ut paulatim ad pristinas redeat miserias.Præterea quam facile sacerdos, utpote qui agit in mundo,de mundano pulvere sordescit!Utique quotidie curam adhibet ut pulvere isto cor suum mundetur,verumtamen hoc ei non sufficit. « Quemadmodum enim qui pannosas vestes gerit, non ei sufficit quotidie pulveres scopis abstergere,sed post

diuturnum tempus etiam bacillum adhibet vestes percutit easque ab intimis sordibus liberat» (*Arvisenet, Memor.* LXXX), sic singulis mensibus piussacerdos majoremadhibeat curam, ut intimos suos defectus detegat eos que scopis sinceræ contritionis everrat.

Ex hissequitur recollectionem menstruam moraliter nobis esse necessariam, si velimus nos conservare in statu fervoris et progredi in via sanctitatis.

Qui autem hanc necessitatem forte diffiteatur, negare tamen non possit recollectionem menstruam *in communi factam* multiplicia sacerdoti suppeditare emolumenta.

1° Qui conveniunt ad recollectionem, egregiam dant *ædificationem* iis quibuscum vivunt; protestantur enim indirecte se valde cordi habere suam sanctificationem.

2° Facere recollectionem menstruam est actus eximiæ *mortificationis.* Etenim diabolus et amor noster proprius ac sensualis non raro nobis obtrudunt impedimenta et difficultates, quibus nobis persuadeamus non suppetere tempus faciendi recollectionem, vel saltem adesse causam nos ab ea excusandi. Sed sacerdos sapiens et suæ perfectionis studiosus, hæc impedimenta amovere

conabitur, semetipsum vincens et sanctam sibi vim inferens ut, superatis omnibus quæ obstare videbantur, menstruæ recollectioni interesse valeat. Dixit enim Dominus « vincenti se daturum manna absconditum, » maximas scilicet gratias et solidas consolationes.

3° Recollectio menstrua est *fomentum caritatis*. Omni ætate in Ecclesia laboratum est, ut viri ecclesiastici in unum identidem convenirent ad conferendum inter se de rebus divinis. Inde concilia, inde synodi, inde congregationes. Ex hujuscemodi congressibus revertuntur sacerdotes spiritu roborati, dum animari se intelligunt eodem spiritu, dumque vident inter multos sacerdotes unam esse animam, cor unum, ad famulandum strenue optimo Regi suo, JESU CHRISTO, et ad prælianda fortiter præsentia prælia Domini.

4° Recollectio menstrua est actus *humilitatis* Deo valde gratus. Nonne humiliter agit ille sacerdos, qui et ipse bene edoctus theologiam et in rebus spiritualibus versatus, singulis mensibus convenit cum Fratribus eo animo, ut accipiat ab alio instructionem et directionem, monita et consilia? Dare autem solet Deus humilibus suam gratiam

et humiles exaltandos promisit. In æternum stabit verbum evangelicum : « Qui se humiliat, exaltabitur. » Minime igitur mirum est si sacerdos rediens ex recollectione experitur se accepisse lumen, robur, solamen.

5° Denique praxis recollectionis menstruæ sua natura *sancta* est. Tota, quanta est, constat rebus sanctis. Sancta res est recitatio Rosarii ; sancta res est studium vitæ spiritualis quod fit per conferentiam ; sancta res est meditatio magnarum veritatum earumque attenta recogitatio ; sancta res est sincera ad mortem et ad judicium præparatio ; sancta res est humilis et affectuosa adoratio JESU in sacramento amoris.

Ut autem recollectio menstrua plenum sortiatur effectum, proponitur *modus* eam faciendi qui multis jam in locis acceptus est et quem multus fructus comprobavit.

1° Pridie sub vesperum recitatur hymnus *Veni Creator*, antiphona *Sub tuum*, oratio *Sanctissimæ genitricis tuæ sponsi*, et elicitur propositum bene faciendi sequentem recollectionem.

2° Mane instituitur prima meditatio, et tempore opportuno fit *examen speciale* circa aliquod punctum vitæ sacerdotalis.

3° In missa accipitur communio tamquam viaticum.

4° Tota die quisque contendit ut major sit animi recollectio, major oculorum et linguæ custodia, diligentia, fuga vel minimi peccati, et accuratior modus omnia agendi.

5° Hora statuta conveniunt sacerdotes in aliquod sacellum, ubi, recitata corona B. M. V., proponitur altera meditatio vel collatio spiritualis ; hac autem peracta, exponitur Sanctissimum, coram quo, omnibus genuflectentibus, fit *examen status* et *præparatio ad mortem*. In fine datur benedictio Sanctissimi.

* * *

Si fiat recollecto *privatim*, statuto ac fixo die, coram Sanctissimo, vel in secreto cubiculi sui, præmissa oratione :

I. Examinet sacerdos *quomodo* se elapso mense habuerit ;... *qua cura* ordinem, diurnum servaverit ;... defectum dominantem impugnaverit ;... proposita secessus annui custodierit....

Examinet utrum in quotidianis pietatis exercitiis nihil fuerit omissum,... in officiis pastoralibus nihil neglectum,... nulla irrepserit tepiditas et incuria.

Et si quid deficere inveniat, remedium apponat ut domus animæ sarta tecta servetur.

II. Proposita bona renoventur ut mensis sequens ferventer transigatur, velut si ultimus vitæ foret.

III. Addi potest alia pia lectio vel meditatio, ad excitandum fervorem idonea.

IV. Concludatur exercitium instituendo præparationem ad mortem. Ad hunc finem examinetur coram Deo duplex quæstio:

*a)* An sum paratus?... Si *nunc* Filius hominis veniret, an reperiret me vigilantem,... sine peccatis,... bonis operibus intentum,... ferventem?

*b)* Quid faciendum est mense proximo ut, si veniat Dominus, paratus inveniar?

## EXAMEN STATUS GENERALE

quod in singulis recollectionibus

adhiberi poterit.

1. An mihi statuta est hora surgendi et decumbendi? An tempestive soleo surgere et decumbere?

2. An impendo, tempore fixo, horam vel certe dimidiam horam meditationi? An meditationem præparo?

3. An utor examine *prævisionis* ad ordinandum diem?

4. An sufficiens tribuo tempus præparationi ad missam et actioni gratiarum?

5. An recito divinum officium debito *modo*, *tempore* opportuno, in *loco* convenienti?

6. An soleo me colligere ad excitandam fidem et ad dirigendam intentionem, antequam incipiam orare, vel administrare sacramenta, vel aliud quodcumque munus obire?

7. An quotidie lego librum pium, visito Tabernaculum, facio examen particulare et generale, recito saltem partem Rosarii?

8. An frequenter de die recordor Dei præsentis?

9. An habeo confessarium stabilem, cui confidenter committo quidquid pertinet ad conscientiam, et cujus directione humiliter

utor ad me promovendum in via perfectionis ?

10. An quotidie per quadrantem pia mente lego Scripturam sacram ?

11. An quotidie impendo aliquid temporis studio theologiæ dogmaticæ et moralis ?

12. An non negligo studium rubricarum ?

13. An videor sufficienter revereri superiores, fratres diligere, cavere a commercio mundanorum ?

14. An zelus domus Dei comedit me ? Quæ mihi cura rerum pertinentium ad ecclesiam ? Quæ cura solemnitatum ?

15. An accurate trado doctrinam christianam pueris ? An firmo ac solido cibo populum meum nutrio ? An mihi est paterna sollicitudo circa ægrotos, moribundos et pauperes ?

16. An domus mea pastoralis imago est domus Nazarethanæ, ubi mundities, ordo, sanctus labor, pietas, caritas, pax et gaudium?

## Altera Forma.

### I. *Relate ad statum animi.*

1. *Fervensne sum, an tepidus ?* Unde tepiditas mea ?

Forsan quia non tempestive surgo, et non surgo tempestive quia non tempestive decumbo.

Forsan quia omitto meditationem, vel eam negligenter instituo, vel eam non præparo.

Forsan quia non sufficientem curam habeo actionis gratiarum post missam.

Forsan quia non accurate servo ordinem diurnum.

Forsan quia nimis obiter facio examen conscientiæ.

Forsan quia, nimis effusus ad exteriora, sino me plus æquo absorberi operibus exterioribus.

2. *An feci aliquem progressum ?*

An peccata fuerunt numero pauciora, minusque voluntaria ?

An aliquod exercitium spirituale melius facio quam antea ?

An humilior sum quam antea? patientior? prudentior ? temperantior? majore præditus caritate ?

Dixi: Nunc cœpi ! *Fervens* esse volo et *diligens* in famulatu Dei mei. Cum S. Joanne Berchmans dico : Ego volo fieri sanctus, magnus sanctus, brevi tempore !

## II. *Relate ad mortem.*

1. An hic et nunc paratus sum ? Si hoc mense moriturus essem, an nihil mihi esset ordinandum, reparandum ?

2. An res meæ temporales habentur in bono statu ? An condidi prudens testamentum ? An nihil est quod, si inveniretur, me mortuo, scandalo esse posset ? An destruxi

scripta inutilia vel quibus abuti possent adversarii ?

3. An res conscientiæ sunt bene dispositæ? An nihil est quod in articulo mortis gauderem me aliquando confessario aperte declarasse ?

4. An nulli rei, an nulli personæ adhæreo nimium, inordinate, culpabiliter ?

5. An non blandior nimis corpori meo, indulgendo facilius concupiscentiis ejus ?

6. An habeo voluntatem ita dispositam ut libenter accepturus sim mortem si mihi obveniat ?

7. An ita nunc vivo ut anima mea moritura sit morte justorum ?

O Domine, accipe me totum ; me totum tibi trado. Quidquid habeo, in manus tuas depono. Tibi soli adhærere volo, tibi soli vivere. Adjuva me. Da mihi gratiam ita vivendi ut mors, licet subitanea, nunquam me imparatum inveniat vel indispositum.

# RECOLLECTIO I.

CUM plerique Sacerdotes singulariter se Cordi JESU addictos profiteantur, existimavimus nos eis gratam operam navaturos, si pro recollectione menstrua, per aliquot continuos menses, non aliam proponeremus materiam meditationis quam ipsum amantissimum Cor JESU.

Ante omnia meditabimur de *objecto formali* devotionis erga Cor JESU, quod est *amor* JESU.

---

## PRIMA MEDITATIO.

### De amore JESU.

1. Præl. Repræsentemus nobis sanctum Paulum amore flagrantem et exclamantem: « In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me. » (Galat., II, 20.)

2. Præl. Petamus a Domino ut dignetur cor nostrum accendere ardentissimo amore.

Perpendamus hæc verba : « Prior dilexit me, » considerando *amantem, amatum, modum amandi, motivum amoris.*

### Iᵘᵐ PUNCTUM. — Amans.

Quis dilexit ? JESUS CHRISTUS... Filius Dei... factus homo... qui post

vitam laboriosam et ærumnosam gloriose resurrexit et in æternum sedet ad dextram Patris... *Quantus!*...Quam *sanctus!*... Quam *bonus!* ... Quam *potens!* ... Quam *sapiens!* Omnium sane maximus, sanctissimus, beneficentissimus, potentissimus, sapientissimus!

Quam beatus, qui a tali ac tanto diligitur! Et profecto hic unus amor mihi sufficit, etiam si nullus alius me diligeret... De hoc amore JESU gaudebo... Ei gratias agam... et libenter flocci faciam omnem humanam amicitiam. « Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. » (Ps. LXXII, 28.) An talis fuit, an talis est mea animi dispositio ?

IIum PUNCTUM. — **Amatus.**

Quem dilexit JESUS ? Me, tantillum... tantum peccatorem... tam malum...

1. *Tantillus !* Quantulus ego in comparatione omnium hominum? Quid omnes homines in comparatione omnium Angelorum et Sanctorum Paradisi?Quid omnia creata in comparatione

Dei ? Jam ego solus quid sum? (S. Ign., *Lib. exercit.)*

2. *Tantus peccator !* Nonne mihi applicare debeo verba S. Augustini : — « Tantillus puer et tantus peccator ? » Utinam saltem a sacerdotio suscepto peccare cessassem ! sed eheu !... O Domine Jesu, coram te me ipsum humiliabo, considerando omnem meam corruptionem et fœditatem... Quid sum, nisi ulcus quoddam et apostema, unde pullularunt tot peccata et tot nequitiæ ac venenum turpissimum ?

3. *Tam malus !* ...Elegerat me, et me posuerat ut irem et fructum afferrem ; et non ivi, non attuli fructum ! Vocaverat me sine intermissione ad sui sequelam, in dies alliciendo, invitando, urgendo ; et quam parce, quam lente, quam segniter obedivi !

Potuisses, o mi Jesu, servum inutilem, segnem militem, discipulum indocilem merito rejicere ut tot alios me meliores, sed hactenus patienter sustinuisti ! Hinc fiducia mea ; nam si me dilexisti tam miserum, multo magis me diliges, si me inveneris meliorem, sanctiorem !

Ergo, *dixi, nunc cœpi !* laborabo sedulo ad meam sanctitatem.

III^um^ PUNCTUM. — **Modus amandi.**

Quomodo dilexit me JESUS ? Dilexit me *vere*, ex toto corde desiderans meam felicitatem et se quam maxime sollicitum præbens meæ salutis.

Dilexit me *manifeste*. Totum Evangelium plenum est verbis quibus clarissime pandit se amor JESU erga me. « Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.» (Joan., XV, 9.)

Dilexit me *generose*, probans suum erga me amorem, multiplicando circa me beneficia et locupletando me omni bono.

Dilexit me *constanter*, non obstantibus meis multis miseriis, peccatis, ignavia, diffidentia, pigritia, tristissima tepiditate.

Et ego, quomodo soleo diligere JESUM ? An *vere ?* An *manifeste ?* An *generose ?* An *constanter ?*

IV^um^ PUNCTUM. — **Motivum amoris.**

Quare me dilexit JESUS ? *Gratis* me dilexit. Etenim ad summam et perfe-

ctam felicitatem sibi sufficit JESUS, neque ullo modo indiget meo amore.

Deinde quid a me exspectare potuisset, cum præcognosceret me tantillum, tantum peccatorem, tam malum sub omni respectu?

An ego paratus sum Eum vicissim diligere *gratis*, scilicet sine consolatione, sine gustu, immo cum detrimento valetudinis, commodorum et famæ?

Alloquar directe JESUM, ut loquitur amicus ad amicum, vel servus ad dominum suum, vel filius ad patrem, modo petendo aliquam gratiam, modo incusando meipsum mali alicujus commissi, modo communicando res meas et petendo consilium in illis. (S. Ignat., *Lib. exercit.*)

## ALTERA MEDITATIO.

### Præparatio ad mortem.

1. Præl. Memetipsum videbo jacentem in sepulcro.

2. Præl. Petam gratiam me convenienter præparandi ad moriendum.

Perpendam serio hæc simplicissima verba: « Ego moriar. »

*Ego moriar*, licet sacerdos sim, licet nunc

valens, licet ad meam valetudinem servandam sollicitus sim valde, *moriar !* « Statutum est hominibus semel mori. » (Hebr., IX, 27.)

*Moriar.* Ergo 1° separabor ab omnibus quibuscum vivo... a domicilio ubi commoror... ab officio in quo occupor... ab omni re quacumque... Mors est exspoliatio totalis.

Hinc intelligere est quam stultum sit adhærere iis quæ necessario relinquere debemus. « Vanitas vanitatum ! »

An jam nulli rei, nulli personæ adhæreo vel *nimium*, vel *culpabiliter ?*

*Moriar.* Ergo 2° separabitur anima mea a suo corpore.

Quænam sors animæ ?

Quænam sors corporis ?

*a*) Anima mea ibit in domum æternitatis suæ. (Eccle., XII, 5.)

Quænam erit domus æternitatis meæ ? Aut *cœlum*, aut *infernus !* Ingens discrimen inter has duas domos ! In cœlo summum gaudium ; in inferno summus luctus. Meum est eligere, dum vivo. Si mors subitanea me deprehenderet talem qualis nunc sum, quænam esset domus meæ æternitatis ?

Ita faciamus præsentem recollectionem et ita ordinemus *nunc* res conscientiæ nostræ ut certo certius itura sit anima nostra in cœlum.

*b*) Corpus meum demandabitur terræ, ut esca sit vermium. « Putredini dixi : Pater meus es ; mater mea et soror mea vermibus.» (Job, XVII, 14.)

Quanta igitur stultitia nunc, dum vivimus, huic corpori, modo tradendo tantæ corruptioni, blandiri, ita ut, propter hoc corpus, anima exponatur periculo in æternum pereundi !

Cavebo igitur a sensualitate ; studebo mortificationi.

*Moriar.* Ergo 3° erit circa me *silentium mortis*, nempe brevissime tradar hominum oblivioni.

Quare igitur tam sollicitus sum de hominum opinione, de hominum æstimatione, de hominum judicio ?

CONCLUSIO. Si Angelus custos me admoneret me hoc mense moriturum esse, quid facerem, ne mors imparatum me inveniret ? Id nunc faciam ; nullus enim scit qua die, qua hora moriturus sit. Ergo ita omnia ordinabo ut tuta conscientia et intrepida mortem jamjam exspectare valeam.

## EXAMEN.

### Circa otiositatem.

Otiositas,quæ «multam malitiam docuit» (Eccli., XXXIII, 29) invenitur vel in *cogitationibus*, vel in *verbis*, vel in *operibus*

I. *Cogitationes.*

Ad cogitationes *otiosas* pertinent

1° Evagatio mentis ad res inutiles,

2° Ratiocinationes ad nihil conducentes,

3° Dispositiones de rebus nunquam futuris,

4° Timor eorum quæ nunquam accident,

5° Spes eorum quæ nunquam evenient.

An non facilius sino me talibus cogitationibus distrahi ab officio meo? An non facilius in his detineor cum detrimento temporis pretiosissimi? An sufficientem adhibeo diligentiam ad eas a mente fugandas? An non frequenter videor versari in *præterito* et in *futuro*, ita ut ad rem *præsentem*, quæ curæ meæ commissa est, non attendam?

II. *Verba.*

His cogitationibus respondent verba quæ omni utilitate fructuque carent, et propterea *otiosa* vocantur.

An sufficienter ab iis caveo, abstineo, in memoriam revocando Dominum JESUM dixisse, de omni verbo otioso nobis reddendam esse rationem Supremo Judici?

III. *Opera.*

Sunt illa ex quibus nullus est fructus, qualia sunt:

1° Colloquia quæ ad nihil conducunt,

2° Ludi superflui, qui recreationis honestæ mensuram excedunt,

3° Visitationes profusiores,

4° Excursiones nimiæ.

An nihil in me reprehendendum, quoad colloquia ?

» ludum ?

» visitationes ?

» excursiones ?

O mi JESU, doleo vehementer quod tam facile mihi delabitur e mente, *tempus* nobis dari *pretiosum* et *breve* ad promovendam salutem nostram illamque in tuto collocandam, et propterea nullam, ne minimam quidem particulam tanti thesauri deperdendam esse. O quam sæpe tempus trivi inutiliter, somniando ineptias, vel dicendo ad rem non pertinentia, vel applicando me nugis ! Concede mihi gratiam ita abhorrendi deinceps ab otiositate, ut nunquam me non utiliter occupatum diabolus inveniat.

# RECOLLECTIO II.

## PRIMA MEDITATIO.

**De modo quo JESUS suum amorem probavit.**

1. Præl. Cor divinum intueamur eo modo ante oculos positum quo a Jesu ostensum fuit Beatæ Margaritæ.

2. Præl. Petamus a Domino gratiam probandi *nostrum* amorem ut ipse *suum* probavit.

In hac meditatione consideremus *quomodo* Jesus suum probaverit amorem erga nos, perpendendo hæc verba S. Pauli: « et tradidit semetipsum pro me. » (Galat., II, 20.)

Probavit Jesus suum amorem erga nos, sese *tradendo*, seu, ut alias dixit S. Paulus, se *exinaniendo*.

Triplici modo se exinanivit Jesus ex amore nostri :

1. Incarnatione ;
2. Passione et morte ;
3. Vita eucharistica.

### Iᵘᵐ Punctum. — **Incarnatio.**

Ille sane probat se flagrare amore vero et ardenti qui, quoniam amat, cum

in forma *Dei* sit,accipit formam *servi*... qui, *Deus* cum sit, fit *homo*... qui, *Verbum* cum sit, fit *caro*... Atqui JESUS propter nos et propter nostram salutem descendit de cœlo... incarnatus est... et homo factus!

Totum Evangelium S. Joannis quod in fine missæ legitur, est sublimis quædam glorificatio hujus amoris sese probantis tanta sui annihilatione ; et hanc annihilationem sacerdotes, dum missam celebrant, jubentur exprimere *genu flexo.*

An ego soleo vicissim meum probare amorem erga JESUM, memetipsum exinaniendo ex amore, i. e. libenter sustinendo opprobria, humiliationes, hominum contemptum meique oblivionem? In posterum *avide* accipiam quidquid mihi adversi et injucundi obvenerit, quia sic mihi occasio erit, o mi JESU, probandi meum erga te amorem.

II^um^ PUNCTUM. — **Passio et mors.**

Quot mala!... et quanta!... et qua constantia JESUS passus est pro me!

Intelligere conabor quare Dominus

exhibuerit nobis Cor suum cum flammis, cum cruce, cum corona spinea, cum vulnere. Procul dubio significare nobis voluit :

1. In corde suo se prius passum esse quæcumque postea passus est in corpore ;

2. Se omnia quæ passus est, passum esse ex amore, cujus cor symbolum est ;

3. Suam passionem plene explicari non posse, nisi ratio habeatur immensi sui erga nos amoris.

Et re quidem vera si quæro, *unde* proveniant tam multa bona quibus Jesus me prævenit, respondendum est : ex amore ejus. Si quæro *cur* tam multa bona contulerit mihi, respondere debeo : ob amorem quo me diligit. Si quæro *quomodo* tanta pro me fecerit et tanta sit passus, respondendum est : cum amore. Ita ut amor Jesu *fons* sit, *causa* et *instrumentum* eorum omnium quæ pro me sustinuit Jesus.

Quid ego feci, quid facio, quid faciam pro Christo ?

*Quid feci ?* An multum, an parum, an nihil ?

*Quid facio?* An omnes conatus adhibeo ut probem meum amorem, patienter sustinendo pauca illa et exigua quæ pati mihi contingit?

*Quid faciam?* An paratus sum rependere amorem pro amore et eo modo quo suum erga me probavit amorem, non *ex parte*, sed *omnino*; non *perfunctorie*, sed *serio*, ipsum sequendo per omnia usque ad mortem crucis?

III^um^ PUNCTUM. —**Vita eucharistica.**

Profecto in sacratissimo mysterio altaris omnia spirant amorem et exinanitionem ex amore, *finis* scilicet, *modus* et *conditio*.

1° *Finis*. In hac vita sua eucharistica triplicem sibi proponit JESUS finem attingendum:

*a)* Nostrum exsilium lenire sua continua *præsentia*;

*b)* Imbecillitati nostræ occurrere, præbendo nobis *cibum* suavitate et efficacia admirabilem;

*c)* Expiare delicta nostra, se Patri suo offerendo singulis momentis in victimam.

2° *Modus.* Potuisset circumdare se gloria et majestate etiam in Tabernaculo sicut in cœlis ; id noluit. In cruce latebat *divinitas*; hic voluit etiam latere suam *humanitatem !*

3° *Conditio.* In hac vita eucharistica se dat voluntati sacerdotis, immo voluntati omnium, etiam adversariorum. Vere *se tradidit !*

*Conclusio.* Ut sacerdos, *pastor bonus* esse debeo ; sed tota vita boni pastoris est *diligere oves suas et pro eis ponere animam suam*, ergo *amare* et *pati.* Sufficiet igitur ut inspiciam imaginem Cordis Jesu, prout eam ipse Jesus nobis exhibuit, ad intelligendum quam generosus esse debeat zelus meus sacerdotalis. Quid clamant istæ flammæ, ista crux, istud vulnus, istæ sanguinis guttæ, nisi : « Ama et patere pro ovibus tuis ! Prior dilexi te, et tradidi memetipsum pro te ; ergo et tu dilige me et trade te pro me, diligendo meos et te tradendo pro meis. » Utinam ergo ita deinceps intuear Cor Jesu ut totus zelo et generositate inflammer !

## ALTERA MEDITATIO.

### De morte nostra.

1. Præl. Statuam me velut in lectulo moribundum, cum omnibus circumstantiis.

2. Præl. Petam gratiam bene moriendi : Domine Deus meus, « illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. » (Ps. XII, 4.)

Hæc duo serio perpendamus :

1° Moriar *semel* tantum.

2° Ignoro *circumstantias* mortis meæ.

### Ium Punctum. — Moriar semel tantum.

« Statutum est hominibus semel mori. » (Hebr., IX, 27.)

Ergo ab uno momento pendet mea æternitas ! Si bene moriar, omnia mihi bene cedent per totam æternitatem ; si male moriar, omnia mihi male in æternum !

Si *bene morior*, nihil refert quod parum splenduerim oculis hominum ;... quod humiliora habuerim officia ;... quod exiguum habuerim successum in rebus meis.

Et si *male morior*, quid proderit mihi gloria humana ?... Quid hominum æstimatio... Quid laus ? Quid plausus ?... Quid talentum ?... Quid ingenium ?... Quid ipsum sacerdotium ?

Ergo tota vita mea deberet esse præparatio ad mortem ; quia, ut ait S. Augustinus, *qualis vita, finis ita.*

An vita mea talis est ut merito sperare possim, meam mortem fore pretiosam in conspectu Domini?

II^um^ PUNCTUM. — **Ignoro circumstantias mortis meæ.**

*Quando* moriar? Nescio.
*Ubi* moriar? Nescio.
*Quomodo* moriar? Nescio.
*Quænam causa* erit mortis meæ? Nescio.

Possum mori *subito*, ut tot alii sacerdotes subito mortui sunt. Convenit igitur ut sim *semper paratus*. Nihil frequentius commendavit Dominus, et conclusio fere omnium ipsius parabolarum erat: «Ergo estote parati.»

An ego hic et nunc paratus sum?... An vellem mori *talis qualis* sum in hoc momento quo hæc meditor?

An nihil in conscientia est quod in hora mortis gaudeam me antea deposuisse? Id nunc deponam in corde confessarii, quia forsan postea jam non erit tempus.

An res meæ temporales sufficienter sunt ordinatæ?

An omnia debita soluta sunt?

O mi JESU, da mihi lumen ut intelligam me semel moriturum; da robur ut rite me præparem ad bonam mortem, nam *semel* tantum moriar!

*Colloquium* instituatur conveniens cum

JESU, cum Maria, cum Joseph, juxta præsentem animæ dispositionem.

## EXAMEN.

### Circa studium.

1° An non soleo omittere studium rerum sacrarum?

Si studium hoc omitto, unde hoc provenit?

*a*) An quia nimis protraho somnum?

*b*) An quia tero inutiliter tempus, diutius confabulando?

*c*) An quia in ludendo sino me abripi ultra limites justæ et rationabilis recreationis?

*d*) An quia frequentius excurro absque necessitate, ita ut plus videar transigere temporis in itinere quam domi?

*e*) An quia tempus nimium impendo lectioni ephemeridum et elucubrationum minime solidarum?

*f*) An quia non curo ordinem in rebus meis gerendis, agendo sine scopo, sine prævisione, pro libitu?

*g*) An quia a studendo abhorreo, quin coner viriliter superare repugnantiam aut ignaviam quamdam naturalem?

2° Si studere soleo, an studio serio?

*a*) Quoad *materiam:* an non neglígo Scripturam sacram, theologiam dogmaticam, theologiam moralem, jus canonicum, historiam ecclesiasticam?

*b*) Quoad *auctores :* an lego auctores in Ecclesia probatissimos, quos tuto sequi possim,auctores scilicet vere solidos et sapienter doctos ? maxime sanctos Patres ?

*c*) Quoad *methodum :* an soleo videre singulis vicibus non *multa*, sed *bene ?*

*d*) An breviter annoto quædam et cum quodam ordine, ita ut quæ legi conservem eaque pro necessitate invenire facile valeam?

*e*) An non hucusque abscondi talentum quod mihi forsan dedit Deus ad aliquid scribendum, utile instructioni populi, glorificationi sanctorum, sanctificationi animarum ?

*f*) An sufficienter dirigo studia mea ad hoc, ut omnis mea instructio, catechesis, concio *solida* sit et vere *fructuosa ?*

O mi Deus, da mihi gratiam serio applicandi animum ad studia sacerdote digna. Quam merito dixit servus tuus Franciscus Salesius magnum scilicet evenisse malum populo christiano ex eo quod arca Dei, i. e. *scientia*, inventa fuerit in manibus non levitarum, sed inimicorum. Da mihi gratiam bene utendi tempore meo et laborandi deinceps *ordinate*, *constanter*, *fructuose.*

# RECOLLECTIO III.

## PRIMA MEDITATIO.

### De symbolo amoris JESU.

PROPONITUR meditatio de symbolo amoris Jesu, seu de sacratissimo Corde Jesu, prout illud exhibuit Dominus noster in celeberrima apparitione, facta Beatæ Margaritæ.

1. Præl. Mente recolamus historiam apparitionis.

2. Præl. Petamus a Domino solidam devotionem erga Cor Jesu.

Consideremus :

1. Ipsam apparitionem ;

2. Verba Christi apparentis ;

3. Sensa Cordis Jesu erga unumquemque nostrum.

### Iᵘᵐ Punctum. — Apparitio.

Hanc apparitionem singulariter nobis commendant *persona* apparentis, *scopus* apparitionis et *modus* quo fit apparitio.

1. *Persona apparens.* Ipse Jesus, per semetipsum, non per angelum, voluit devotionem erga Cor suum revelare.

Hinc intelligitur quanti ipse hanc devotionem faciat. Eam ergo summopere æstimabo, et gratias agam Domino meo quod, manifestando mihi Cor suum, dignatus est mihi aperire thesaurum thesaurorum.

2. *Scopus apparitionis.* Quare apparuit Jesus fideli suæ famulæ Margaritæ? Nonne ut hominibus daret novum signum infiniti sui amoris, et mundi miseriis novum remedium suppeditaret? Quid nobis optabilius contingere posset? O quam bonus, quam misericors es tu, o mi Jesu! Utinam tanto amori responderent homines!

3. *Modus apparendi.* Contemplabor amabile Cor Jesu vivum... hypostatice unitum Verbo Dei... cum radiis... cum flammis... cum cruce... cum corona spinea... cum vulnere... Conabor intelligere quid significent isti *radii*... istæ *flammæ*... ista *crux*... ista *corona*... istud *vulnus*. Omnia mihi clamant: Dilexit me et tradidit semetipsum pro me! Vicissim volo te diligere, o mi Jesu, et me pro te tradere, laborando pro te, patiendo pro te, moriendo pro te.

II^um^ PUNCTUM. — **Verba Christi apparentis.**

1. Audiam *questus*, amore plenos, quos edit JESUS de hominum indifferentia, tepiditate, irreverentia erga Sacramentum sui amoris... Dolebo et ego atque JESU meo compatiar.

1. Audiam *promissiones* splendidissimas quibus stimulat zelum nostrum ad amplectendam devotionem erga Cor suum.

3. Speciatim attendam ad ea, quæ promittit *sacerdotibus* qui se Cordi ipsius totos devovebunt. « Mira, ait, potientur arte corda peccatorum vel durissima emolliendi ; et si accinxerint se ad promovendum cultum Cordis mei, scribam nomina eorum in Corde meo, et nulla vis ea inde unquam delere poterit. » Quanta causa sperandi atque gaudendi !

III^um^ PUNCTUM. — **Sensa Cordis Jesu erga nos.**

Quænam sunt hic et nunc sensa Cordis JESU erga me ?

1. *Dolet* de mea tepiditate ;

de mea indifferentia ;
de inconstantia mea ;
de mea pusillanimitate ;
de peccatis meis ;
de defectu zeli ad salvandas animas.

Nonne ego augere visus sum numerum *spinarum* quibus Cor tuum tam crudeliter pungitur, o JESU ? Conabor deinceps numerum spinarum minuere, strenue laborando ad exstirpandum regnum peccati in hominibus, quos curæ meæ pastorali commisisti.

2. *Gaudet* de meis laboribus ;
de meis sacrificiis;
de mea bona voluntate ;
de mea fiducia ;
de mea patientia in perferendis rebus adversis ;
de mea caritate erga miseros et pauperes.

3. *Exoptat a me :*

*a*) ut me perfectissime convertam et sanctus evadam ;

*b*) ut sim devotissimus erga amabilissimum ipsius Cor ;

*c*) ut me constituam promotorem tam

solidæ, tam jucundæ, tam utilis devotionis.

*Colloquium* instituatur cum JESU ferventissimum. Imploremus ejus misericordiam pro tristitia, qua toties affecimus amantissimum Cor ejus per peccata nostra et per nostras innumeras negligentias ; et in compensationem præteritæ nostræ tepiditatis offeramus nos totos in victimas amoris, paratas ad omnia, etiam quam maxime ardua, cum amore perferenda.

## ALTERA MEDITATIO.

### De morte amara aut jucunda.

1. Præl. Mihi repræsentabo S. Carolum Borromæum suavissime efflantem animam, pronuntiato cum maximo affectu nomine JESU.

2. Præl. Petam a Deo gratiam moriendi morte quæ, ut mors sanctorum, pretiosa sit in conspectu Domini.

Hanc veritatem attente considerabo: mea mors erit *amara*, si male vel tepide vixero ; mea mors erit *jucunda*, si vixero bene et ferventer.

Non immerito possumus nobis effingere mortem, cum ad homines accedit, tenentem

manu sinistra calicem amarissimum, et dextra calicem alterum dulcissimum, et aliis hunc, aliis illum propinantem.

### Iᵘᵐ Punctum.

Quibus mors solet propinare calicem amaritudinum? Iis sacerdotibus qui male vel tepide vixerunt; quibus quidem *amara:*

1. Recordatio præteritorum... primæ communionis... vocationis... educationis in seminario... susceptionis ordinum... primæ missæ... tot gratiarum neglectarum... peccatorum... scandalorum... sacrilegiorum...

2. Visus rerum præsentium... breviarii... malorum librorum aut librorum levium... imaginis crucifixi quam nunquam osculabantur... ipsius confessarii cujus præsentia torquentur, quia male dispositi sunt...

3. Timor futuri judicii... et jure quidem... Et hæc omnia mire auget diabolus. O vere mors peccatorum pessima; sed omnium pessima mors sacerdotis peccatoris. Corruptio enim optimi pessima.

Quoties, o Jesu, me exposui periculo accipiendi de manu mortis calicem amaritudinum! Cum gratia tua hunc calicem a me arcebo.

### IIᵘᵐ Punctum.

Quibus mors propinat calicem jucunditatum? Iis sacerdotibus qui bene et ferven-

ter vixerunt, vel, qui post vitam miseram sincere se ad Deum converterunt.

Talibus enim *jucundissima :*

1. Recordatio præteritorum... laborum pro gloria Dei et salute animarum exantlatorum... animarum quas converterunt vel sanctificaverunt...consolationum haustarum ex sacro ministerio... sanctæ violentiæ quam sibi intulerunt, ut responderent sublimi suæ vocationi...

2. Visus rerum præsentium... imaginis crucifixi et Beatissimæ Virginis coram quibus toties effuderunt preces et lacrymas... breviarii, quod fideliter et pie recitarunt... librorum quorum ope studio sacro vacarunt... confessarii cujus pia exhortatione mire sustentantur.

3. Spes firmissima æternæ salutis ; recordantur enim quod scripsit S. Augustinus : non posse male mori eum qui bene vixerit.

O mi JESU, intelligo quam ingens sit discrimen inter mortem mali sacerdotis et mortem sacerdotis sancti. Ego quidem eligo mortem sanctorum,et propterea accingere me volo ad vitam bonam et ferventem. « Dixi, nunc cœpi! »

## EXAMEN.

### Circa confessionem sacerdotis.

1. An soleo confiteri sat frequenter ? Statutis diebus ?

2. An habeo confessarium stabilem, doctum, pium, prudentem, meæ perfectionis sollicitum? Quam merito scripsit S. Carolus Borromæus : « Animæ solet non minus obesse confessariorum mutatio, quam corpori mutatio medicorum. »

3. An confessario meo omnino apertus sum et sincerus, nihil eum celans? An ei obedio plene, in omnibus, tamquam ipsi Christo Domino?

4. An unamquamque confessionem instituo tamquam ultimam vitæ? Una enim ultima erit, et nescio quæ ; unaquæque ultima esse potest.

5. An confiteor cum fine determinato, i.e. ut in dies anima mea purior evadat, et sic dignior fiam ut accedam ad altare?

6. An in unaquaque confessione mihi propono aliquod peccatum vel aliquem defectum,quem omnino vitare volo? O si singulis hebdomadis vel unum defectum per confessionem eradicarem, quam brevi sanctus essem !

7. An mihi mos est, identidem præcipua aliquot confessionum capita repetere *ex devotione*, v. g. singulis mensibus, occasione menstruæ recollectionis, vel singulis trimestribus,vel saltem singulis annis?

8. An confiteor in spiritu *fidei?*

9. An sufficienter me ad confessionem præparo?

An post confessionem maneo aliquantulum recollectus?

10. An fructus verus et magnus fuit tot confessionum, quas institui ex quo sacerdos sum? Si exiguus mihi videtur fructus, nonne causa est quod nimis perfunctorie confiteor, ex consuetudine, cum fine minus determinato, nec cum vero desiderio emendationis?

O mi JESU, concede mihi gratiam deinceps confitendi peccata mea *bene* et *fructuose*.

# RECOLLECTIO IV.

## PRIMA MEDITATIO.

### De fructu amoris JESU.

IN præcedentibus exercitiis, perpendendo verba divi Pauli « Dilexit me et tradidit semetipsum pro me, » consideravimus amantem,

amatum,
modum amandi,
motivum amoris,
probationem amoris,
amoris symbolum.

Restat, ut consideremus *bona* quæ ex hoc JESU amore homini amato obveniunt. Tria præsertim bona, ut experientia constat, obveniunt homini a JESU dilecto : *honor*, *divitiæ*, *felicitas*.

Duo præludia eadem sint ac in præcedenti recollectione.

#### Ium PUNCTUM. — Honor.

Amor JESU singulariter honestat hominem; amor enim vel pares invenit vel pares facit. Et certe homini cuicumque ducimus honori, quod diligitur a magnate, a viro docto, a viro clarissimo, et

generatim reputamus amicitiam regis inter maxima bona. Quantus ergo honor est, habere amicum ipsum Dei Filium, optimum, sapientissimum, maximum. Hinc fit ut soleant homines maxima reverentia prosequi illos quos habent ut sanctos, quia intelligunt eos specialiter a Filio Dei diligi.

Hunc honorem mihi comparare conabor eumque præferam omni alii honori. Satagam aliquo modo JESUM compellere ad me amandum quam maxime; tantus enim mihi erit honor, quantus JESU erga me amor.

### IIum PUNCTUM. — Divitiæ.

Amor JESU illos quos diligit et a quibus diligitur ipse, multiplici modo locupletat.

Locupletat eos *scientia*. Hinc fit, ut non raro homines simplicissimi doctiores sint in rebus spiritualibus, quam maxime litterati.

Locupletat eos *fortitudine*. Hinc fit, ut licet indole sint imbecilles et pavidi, res tamen aggrediantur arduas atque difficillimas pro gloria Dei.

Locupletat eos *gratia*. Hinc fit ut magis ac magis placeant Deo, et apud eum augeantur in dies amicitia et familiaritate.

Locupletat eos *meritis*. Hinc fit ut singulis momentis congregent thesauros in cœlo « ubi neque ærugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur. » (Matth., VI, 20.)

Locupletat eos *regno*. Si enim servire Deo regnare est, quid Deum diligere et a Deo diligi ? Hinc fit, ut, qui a JESU diliguntur, imperent dæmonibus, imperent suis passionibus.

Ergo amor JESU locupletat dilectos et in præsenti et in futurum. Quam merito dixit psalmista : « Lætamini in Domino et exsultate, justi, et gloriamini omnes recti corde » (Ps. XXXI, 11) ; « et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia. » (Ps. LXVII, 4.)

III^um^ PUNCTUM. — **Felicitas.**

Videte sanctos. Deerant eis divitiæ, deerant honores, deerant mundi deliciæ ; immo plerumque despecti erant, pauperes et in opinione hominum

miserrimi ; erant tamen tam beati, tam læti, ut sortem suam cum sorte regis potentissimi minime commutare voluissent. Quare ? Quia serviendo fideliter Deo suo, pacem cordis, serenitatem mentis, veræ felicitatis fontem invenerant. Credebant fide firmissima, illum cui famulabantur esse Patrem amantissimum ; eum promisisse mercedem magnam nimis. Credebant, leve et momentaneum tribulationis nostræ operaturum esse pondus æternæ gloriæ. Audiverant JESUM dicentem : « Beati pauperes spiritu..., beati qui lugent..., beati qui persecutionem patiuntur ; » et flocci faciebant omnes labores, omnes ærumnas hujus vitæ, et sic «spe gaudentes, spiritu ferventes, Deo servientes » ingenti lætitia exsultabant.

Alii igitur hauriant felicitatem ex fontibus venenatis hujus mundi, « ex cisternis dissipatis, quæ continere non valent aquas ; » ego volo haurire felicitatem ex fontibus Salvatoris mei, ex Corde JESU, cujus amor fons est inexhaustus bonorum. Amen.

## ALTERA MEDITATIO.

### Præparatio ad judicium.

Meditabimur de judicio particulari. Hæc meditatio solet bono sacerdoti addere animos ad laborandum et ad patiendum animo forti et generoso.

1. Præl. Nobis repræsentemus Christum Dominum, sedentem in tribunali et nos interrogantem de vita nostra.

2. Præl. Petamus gratiam timendi judicium ut peccata fugiamus et inordinatas operationes nostras emendemus.

Ego sacerdos judicabor aliquando, forsan brevi, forsan antequam iterum fiat recollectio menstrua.

*Judicabor.* Dixit enim Paulus scribens ad Corinthios : « Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum. » (II Cor., v, 10.)

1° Igitur statim ac mors me prostraverit, dum amici mei et cognati adhuc dubitant utrum inter mortuos an inter vivos ego numerandus sim, stabo ante tribunal Christi, responsurus de vita mea.

2° Stabo *solus*... cum conscientia mea... cum operibus meis bonis et malis.

Nullus mihi aderit advocatus, qui me defendat vel excuset, qui pro me obsecret... Simpliciter licebit referre, juxta conscien-

tiam, quæcumque feci, quæ dixi, quæ cogitavi, quæ omisi.

3° Stabo ante tribunal *Christi.* Christus ipse, non alius, erit judex meus, Christus, ergo Deus. Qualis judex !

*a*) Judex summe *sapiens, omniscius ;* nihil eum prætérire poterit ; non potero eum decipere. Forsan decepi episcopum, forsan eos decepi quibuscum vixi ; forsan decepi confessarium... Te, o JESU, decipere non potero : omnia vidisti... omnia audivisti... « malum coram te feci. »

*b*) Judex summe *justus.* Ergo minime eum potero corrumpere munere vel promissione.

*c*) Judex summe *potens.* Ergo ei resistere non valebo. « Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam ? » (Ps. CXXXVIII, 7.)

*d*) Judex *inexorabilis.* Nihil eum poterit flectere.

*e*) Judex *supremus.* A cujus sententia non erit appellatio.

4° Talis ac tantus judex mihi dicet : « Redde rationem villicationis tuæ, » et statim instituetur circa me judicium

accuratum,

severum,

strictissimum.

A. *Accuratum.* Reddenda ratio talentorum... gratiarum... mediorum salutis... peccatorum... functionum...

Exhibebitur rituale... libellus rubrica-

rum... statutorum... Sic facere debebas ; sic te facturum promiseras ; an stetisti promissis ?

B. *Severum.* Omnia judicabuntur juxta regulas justitiæ.

*a*) Minime admittentur interpretationes benignæ, explicationes, excusationes, prætextus.

*b*) Judicabitur non solum substantia actionum, sed etiam modus. Non solum interrogabor an oraverim, sed an bene ? An recitaverim officium divinum,sed an attente? An missam celebraverim, sed an sancte ? An administraverim sacramenta,sed an rite et reverenter ?

« Ego justitias judicabo. Scrutabor Jerusalem in lucernis. Ego scrutans renes et corda Deus.» (Ps., LXXIV, 3 ; VII, 10 ; Soph., I, 12.)

C. *Strictissimum*, quia sacerdos sum. Dixisti enim, o mi Deus : « Exiguo conceditur misericordia, » sed « judicium durissimum his qui præsunt fiet. » (Sap., VI, 6, 7.) Præfui in altari, ut legatus populi ad Deum ; præfui in tribunali, ut judex pœnitentium ; præfui in cathedra, ut doctor ignorantium. Igitur clamat mihi sanctus Gregorius Magnus : « Quot regendis subditis præfuisti, tot solus animas habuisti, et pro his omnibus respondendum tibi est. »

Hæc omnia vera sunt, hæc omnia certa

sunt, hæc omnia pro me locum habebunt modo : an paratus sum ? O mi JESU,

Juste judex ultionis,
Donum fac remissionis,
Ante diem rationis.

## EXAMEN.

### Circa munus confessarii.

1. An multum afficior ad hoc munus sanctissimum, non ignorans quam magnum sit, quam jucundum, posse liberare animas a servitute peccati, claudere peccatoribus infernum, eis aperire cœlum, gloriam dare Deo, lætitiam angelis, consolari afflictos, erigere animo dejectos, dæmonem vincere et profligare ? An proinde *libenter* excipio confessiones, fortiter pugnando adversus naturalem repugnantiam et quamdam pusillanimitatem ex timore difficultatum ?

2. An *alacrem* me exhibeo ad adeundum confessionale et semper *paratum ?*

3. An non diutius exspectare cogo volentes confiteri ?

4. An inter confessiones *patientem* me ostendo ?

5. An me probo *studiosum* boni pœnitentium ?

6. An me in confessionali habeo ut *vicarium amoris Jesu ?* An ergo *benignus* sum, *misericors, firmus*, nunquam *durus ?*

7. An *prudens* sum

*a*) non ostendendo verbo vel gestu *admirationem*, vel *tædium*, vel *impatientiam ;*

*b*) non interrumpendo inopportune pœnitentem ;

*c*) non faciendo quæstiones *inutiles*, vel periculosas ;

*d*) vitando quidquid impellere posset pœnitentem ad animi dejectionem ;

*e*) vitando quidquid posset reddere confessionem odiosam ?

8. An non sum e numero confessariorum qui contenti dare absolutionem, dimittunt pœnitentem sine stimulis, sine consilio, sine directione?

9. An, ex quo fungor munere confessarii multos retuli fructus ex meo labore ? Quot peccatores converti ? Quot animas sanctificavi ? An mei pœnitentes visi sunt proficere in omni virtute ? An per confessionem meliorem reddidi meam parœciam,meam communitatem, meum collegium ?

O mi JESU, pudet me non melius me usum fuisse infinita potestate qua dignatus es me ornare in die Ordinationis meæ. Utinam deinceps utar clavibus, mihi divinitus concessis, ad eripiendas e faucibus inferni innumeras animas, et ad eas cœlo in æternum inducendas !

# RECOLLECTIO V.

## PRIMA MEDITATIO.

### De Corona spinea Cordis JESU.

1. Præl. Videamus JESUM nobis pandentem Cor suum, et oculos præsertim conjiciamus in *coronam spineam.*

2. Præl. Petamus gratiam intelligendi significationes istius coronæ et hinc deducendi fructus imitationis.

In capite JESU S. Bernardus quadruplicem distinxit coronam, nempe

coronam miseriæ,
coronam misericordiæ,
coronam justitiæ,
coronam gloriæ.

Quæ de his coronis dixit sanctus Doctor, applicare possumus Cordi JESU.

I^um^ PUNCTUM. — **Corona miseriæ.**

Corona miseriæ *in capite* JESU fuit illa ipsa corona spinea, quæ manibus peccatorum imposita est capiti JESU, ad expianda nostra peccata mentis, ut sunt malæ cogitationes, imaginationis deliramenta, temeraria judicia, injustæ suspiciones, malitiosæ interpretationes

Quam horribiliter punxit caput JESU hæc corona!

Corona miseriæ *in Corde* JESU est dolor, quem sentit Cor JESU propter hæc peccata. Quam crudeliter vulneratur his peccatis Cor sanctissimum!

*Applicatio.* 1° An mense præterito non addidi ego aliquot spinas coronæ JESU?

2° Quisnam est dolor meus de peccatis? Quodnam meum odium peccati? Utinam semper cum veritate dicere possem: O Domine, potius mori millies quam vel semel fœdari peccato!

IIum PUNCTUM. — **Corona misericordiæ.**

Corona misericordiæ *in capite* JESU fuerunt sollicitudines quas ultro suscepit JESUS pro salute hominum. Quam multiplices, quam constantes, quam seriæ!

Corona misericordiæ *in Corde* JESU, est compassio sincerissima et affectuosissima erga omnes quos videt JESUS aliquid patientes. Non semel, dum vivebat in terris, visus est lacrymas fundens propter ærumnas et tristitiam aliorum. «Lacrymatus est JESUS.» (Joan., XI, 35.)

*Applicatio.* 1° Dominus mei sollicitus est, meisque miseriis compatitur ! Hinc fiducia maxima.

2° An ego soleo compati dolentibus? An non merito mihi objicitur nimia indifferentia quoad ea quæ patitur meus proximus ? Qualem me exhibeo erga ægrotos, erga mendicos, erga afflictos?

III^um^ PUNCTUM. — **Corona justitiæ.**

Corona justitiæ *in capite* JESU est illa reparatio famæ, quam JESUS accipiet in ultimo judicio. Quam gloriosa, quam plena !

Corona justitiæ *in Corde* JESU est illa admirabilis patientia, qua JESUS sustinuit opprobria et hominum injurias. Hinc quanta fortitudo et firmitas !

*Applicatio.* 1° Gaudebo de hac glorificatione Regis mei amantissimi.

2° Patienter et libenter accipiam humiliationes et opprobria. Contemnam gloriam humanam, quæ sæpe injusta est et inconstans ; ego gloriam quæram quæ a Deo est ; hæc semper justa, constans et æterna. « Qui gloriatur, in Domino glorietur. » (II Cor., x, 17.)

IV^um^ PUNCTUM. — Corona gloriæ.

Corona gloriæ *in capite* JESU, est illa corona quam sibi promeruit JESUS, laborando, patiendo, moriendo.

Quam splendida ! et æterna est !

Corona gloriæ *in Corde* JESU, est gaudium ineffabile, quo Cor JESU repletur, et replebitur per totam æternitatem, recordatione eorum quæ fecit et passus est cum tanto amore. Hoc præviso gaudio sustentabatur anima ejus tempore tribulationis.

*Applicatio.* Spe æternæ mercedis libenter nunc suscipiam labores, dolores, humiliationes, ærumnas. Aliquando cum veritate dicam : « Transierunt omnia. » (Sap., v, 9.)

*In colloquio* petam a Christo Domino, ut ex hac meditatione uberrimos fructus referam, nimirum :

augmentum salutaris odii erga peccatum ;

augmentum caritatis erga miseros ;

augmentum patientiæ in tribulatione ;

augmentum ardoris in labore.

## ALTERA MEDITATIO.

### De judicio sacerdotis.

1. Præl. Memetipsum videbo stantem coram tribunali Christi.

2. Præl. Petam gratiam me rite et tempestive præparandi ad judicium quod brevi subire debebo.

Longe differet judicium sacerdotis *tepidi* a judicio sacerdotis *ferventis.*

Sacerdos *tepidus* singulari confusione replebitur dum judicabitur ; sacerdos *fervens* singulari gaudio exsultabit.

### Ium Punctum. — Judicium sacerdotis tepidi.

1° Confusione et pudore implebitur sacerdos tepidus, quando JESUS ante oculos ejus ponet magnitudinem vocationis sacerdotalis, hujus vocationis obligationes et innumera media huic vocationi respondendi.

« Elegeram te inter mille... Te mihi destinaveram vineam electam... Ad divinam meam familiaritatem vocaveram... Quomodo tanto beneficio, quomodo tantæ vocationi respondisti ?... Quoties te ad mei sequelam invitavi, urgendo te, alliciendo fortiter simul et suaviter !... Et tu, post tot promissiones, quam parce... quam lente... quam segniter me secutus es ! »

2° Ingens erit confusio hujus sacerdotis quando JESUS eum comparabit
cum aliis sacerdotibus,
cum laicis piis,
cum peccatoribus,
cum ipso...

« Cum versabaris in seminario, quam pius eras... obediens... castus... humilis... et postea quantum mutatus ! »

3° Sed summo pudore afficietur ille sacerdos, quando JESUS ei exponet jura quæ habebat in ejus amorem.

« Cum mitterem te ad collegium, magna mihi pollicebar... Confidebam te futurum sacerdotem secundum cor meum... Sperabam te multos conversurum peccatores, te sanctificaturum multas animas... Sed eheu! pro servo fideli mihi dedisti servum ignavum ; pro sacerdote sancto mihi dedisti sacerdotem mundanum, sensualem, iracundum, vanum atque superbum...»

4° Sed quid sentiet, cum ipsi dicetur : Recede a me in flammas purgatorii, plene expiaturus tepiditatem tuam, tuam sensualitatem !

Sancte Job, tu verebaris omnia opera tua, sciens quod Deus non parceret delinquenti.

Sancte David,tu clamabas ad Dominum: «Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. »

Sancte Paule, tu in medio labore prædicationis apostolicæ timebas ne reprobus efficereris.

Intercedite pro me ! Timorem Domini mihi exorate, ne me nimia securitas perdat !

### IIum Punctum. — Judicium sacerdotis ferventis.

Gaudio ingenti opplebitur

1° quando intelliget ex modo quo a Jesu excipietur, omnia esse in tuto ;

2° quando exponet ei Jesus suam providentiam : « Ego permisi talem tribulationem, talem humiliationem, talem morbum, ut tibi esset occasio exercendi varias virtutes ; »

3° quando Jesus ei ostendet omnia ejus sacrificia, omnes labores, omnes sudores, omnia opera scripta in libro vitæ ;

4° quando audiet jucundissimam sententiam ex ore Jesu dicentis : « Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui, ut eo fruaris per totam æternitatem. »

Hæc meditans non possum, o mi Jesu, non recordari pulcherrimæ imaginis qua usus est Psalmista tuus David, dum dixit : « Euntes ibant et flebant. »

Vita boni sacerdotis est labor, est dolor et simul progressus in vita spirituali. Ibat de virtute in virtutem, non obstante repugnantia carnis, non obstante tentatione diaboli,

non obstante adversitate ; ibat et flebat et nihilominus semina virtutis mittebat, et sic cum labore, nec sine dolore messem præparabat. Sed ecce venit mors,properat bonus sacerdos ad judicium ; quo animi sensu ? Respondit David : « Veniens veniet cum exsultatione, portans manipulos suos. » Quo major fuit per vitam labor, quo major dolor, eo in judicio major exsultatio, major lætitia, quia splendida messis, messis abundans fructibus qui permanebunt per totam æternitatem.

## EXAMEN.

### Circa munus concionatoris.

Quomodo soleo frangere populo meo panem verbi divini ?

1° An sat frequenter ?

2° An tempore statuto et opportuno ?

3° An tempestive præparo dicenda ?

4° An ea dico quæ sint ad captum plurimorum ?

5° An fructus meæ prædicationis respondet labori ?

Quod si exiguus sit fructus, unde hoc provenit ?

*a)* An quia concio mea non talis est,qualis esse deberet ? Forsan dico bona, sed non bene ; forsan dico bene,sed non bona ; forsan neque bona dico, neque bene.

*b)* An quia vitiatur intentio? Nonne forsan in concionando quæro magis gloriam meam quam gloriam Dei? Nonne quæro magis meam utilitatem quam utilitatem gregis mei?

*c)* An quia nimis fido viribus meis et non satis auxilio divino?

*d)* An quia negligo orationem?

*e)* An quia non satis curo ut concio mea sit *practica?* Practica autem erit, si ei insit *doctrina*... si splendeat *ordine*, et *claritate*, ... si ope *exemplorum* et *comparationum* res difficiliores planæ fiant... si in ea *sentiatur* amor JESU, amor Mariæ, amor animarum ... si exaltetur misericordia divina, ... si excitentur animæ ad fiduciam et ad generositatem.

O mi JESU, utinam imitari queam tuum modum prædicandi! Adeo suavis erat ut turbas ad te traheres in desertum usque; et ita capiebas mentes audientium ut ne de cibo quidem cogitarent. Nonne ego arceo a me et a cathedra homines vel per defectum lenitatis, amœnitatis, caritatis, vel per meum modum prædicandi? Da, quæso, ut semper prædicem quæ sint ad gloriam tuam et ad sanctificationem animarum, et ea prædicem, non *negligenter*, non *frigide*, sed ex animo, cum sancto ardore, ita ut ignis quem tu in terram venisti mittere, per me accendatur in cordibus audientium.

# RECOLLECTIO VI.

## PRIMA MEDITATIO.

### De Lancea et de Vulnere Cordis JESU.

1. Præl. In mentem revocemus verba sancti Joannis : « Ad JESUM autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. » (Joan., XIX, 33, 34.)

2. Præl. Petamus gratiam intelligendi quare JESUS voluerit Cor suum lancea vulnerari, et gratiam per hoc vulnus intrandi in ipsum Cor JESU, ut in eo habitare valeamus.

Consideremus : 1° quomodo lancea fuerit instrumentum *divinæ providentiæ ;*

2° quomodo fuerit instrumentum *amoris ;*

3° quomodo fuerit instrumentum *potentiæ.*

I^um^ PUNCTUM. — **Lancea instrumentum Providentiæ.**

Instrumentum *malitiæ* convertit Providentia in instrumentum *gratiæ.*

Quid enim intendebat miles ? sævum suum animum explere. Quid intendebat JESUS ? aperire nobis viam ad Cor suum.

Sic omnia *mala*, quæ patimur in hac vita, dummodo committantur Cordi JESU per generosum actum resignationis et conformitatis cum voluntate divina, indubitanter convertentur in *bona ;* solet enim amor JESU efficere ut omnia nostra sive bona, sive mala, nobis diligentibus cooperentur in bonum, ut manifeste docet divus Paulus. (Rom., VIII, 28.)

Hinc duplex concipiam propositum :

1^um^ : Quotiescumque aliqua res adversa mihi obvenerit, statim eam conjiciam in Cor JESU et firmiter mihi persuadebo eam mihi profuturam.

2^um^ : Inconcussam habebo fiduciam in Providentia Dei, qui scit uti malitia inimicorum nostrorum in nostram utilitatem. Ergo quantæcumque fuerint tribulationes meæ, nunquam jam animum despondebo, sed firmiter confidam in Domino, siquidem, ut ait Psalmista : « Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion. » (PS., CXXIV, 2.)

II^um^ PUNCTUM. — **Lancea instrumentum amoris.**

Quare voluit JESUS suum Cor lancea vulnerari? Sane ut nobis pateret immensitas sui amoris erga nos, et hoc quidem duplici modo:

Primo, lancea vulneratum Cor JESU emisit sanguinem et aquam, ita ut hinc manifestum factum sit, JESUM totum suum sanguinem, ad ultimam usque guttam, effudisse pro nobis.

Secundo, lancea *aperuit* latus JESU, et per hanc aperturam licuit nobis introspicere Cor ipsum, vulneratum, flammas emittens amoris, gerens crucem et spineam coronam, ita ut intelligere sit, JESUM passum esse et mortuum quia voluerit, et voluisse quia dilexerit.

Contemplabor hoc amantissimum Cor lancea vulneratum, et excitabo me ad redamandum JESUM, qui tam admirabiliter amat.

Corde et ipse vulnerari volo, corde crucifigi, corde spinis coronari, id est, omnes meas difficultates *ex amore* et *cum amore* sufferre.

III^um PUNCTUM. — **Lancea instrumentum potestatis.**

Sicut lancea *ferrea* potuit vulnerare Cor JESU, ita et illud vulnerare potest lancea *spiritualis;* lanceam spiritualem voco *humilitatem* et *fiduciam.* Etenim nostra fiducia, nostra humilitate quodam modo suaviter vulneramus Cor JESU et illud cogimus ut effundat in nos thesauros suæ bonitatis et misericordiæ. Pervolvamus Evangelium et videbimus JESUM nihil unquam recusasse humilibus et in ipso confidentibus. « Nullus speravit in Domino et confusus est. » (Eccli., II, 11.) « Dominus adjutor meus et protector meus ; in ipso speravit cor meum, et adjutus sum. » (Ps., XXVII, 7.)

## ALTERA MEDITATIO.

**Præparatio ad judicium.**

I. Præl. Nobis vivide repræsentemus sacerdotem aliquem qui, sepultus in inferno, auditur exclamare e medio ignis : « Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. » (Ps., CXVIII, 137.)

II. Præl. Petamus gratiam nosmetipsos recte judicandi dum vivimus, ut appareamus

coram Judice nostro supremo judicati, non judicandi.

Possumus, si volumus, judicium nostrum præparare et efficere ut sententia, quam pronuntiabit Judex noster, sententia sit vitæ, non mortis. Id autem obtinebimus :

1° *Judicando nosmetipsos in examine conscientiæ et confessione.*

« Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. » (I Cor., XI, 31.)

Quotidie nosmetipsos examinemus, non obiter et perfunctorie, sed serio, sincere et rigorose ; singulis hebdomadis talem assuescamus instituere confessionem,quæ merito ultima esse possit.

An fructuose me examino quotidie? An fructuose instituo confessionem ?

2° *Pœnitentiam agendo.*

« Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. » (Sap., XI, 24.)

Pœnitentiam agere est refrenare oculos, aures, linguam, palatum ; est patienter ferre incommoda vitæ et quæ amori proprio injucunda sunt ; est corpus affligere jejuniis, cilicio et disciplina. An hæc non videor nimis negligere ?

3° *Judicem deprecando.*

« Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris.» (Ps., XXIV, 7.) « Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. » (Joan., XIV, 13.)

«Meum judicem deprecabor.» (Job, IX, 15.)

Utinam mihi esset consuetudo familiariter conversandi cum illo qui nunc in Tabernaculo Amicus meus est, Pater et Salvator, et qui modo erit Judex meus. O Domine JESU, da mihi gratiam nunc te mihi devinciendi, amando te ardentissime!

4° *Mariæ et aliis Sanctis supplicando*, ut Judicem nostrum deprecentur.

« Facite vobis amicos. » (Luc., XVI, 9.)

An mihi sufficiens devotio est et fiducia erga Mariam et alios meos Patronos?

5° *Neminem judicando.*

« Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini. » (Luc., VI, 37.)

An non promptior sum ad alios, etiam Superiores meos, judicandos atque condemnandos? Abhorrebo ab aliorum vituperatione.

6° *Inimicis condonando.*

« Dimittite, et dimittemini. » (Luc., VI, 37.)

« Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.» (Matth., VI, 12)

An nullus in corde meo rancor aut vindictæ appetitus? An non aliqua injuria accepta altius hæret in mente? An non nimis frigidum exhibeo me erga aliquem ob acceptam offensam?

7° *Eleemosynas dando.*

« Quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata et facit invenire misericordiam et vitam æternam. » (Tob., XII, 9.)

An sufficiens mihi cura pauperum? An forsan meo modo tractandi et alloquendi miseros et mendicos non ingero aliis suspicionem de sordida avaritiæ labe?

8° *Animas convertendo.*

« Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte et operiet multitudinem peccatorum. » (Jac., V, 20.)

Quis meus zelus animarum? An vere apostolicus, i. e. simplex, purus, fortis, generosus et constans? An mihi familiare est quod dicere solebat apostolus Indiarum, S. Franciscus Xaverius: Da mihi animas, cætera tolle tibi?

Fideliter sequar, o mi JESU, consilium servi tui, Gregorii Arelatensis, dicentis:

« Laboremus totis viribus
*curare maculas,*
*lavare culpas,*
*subvenire præteritis,*
*consulere futuris.* »

---

EXAMEN.

Circa directionem animarum.

1. An mihi persuasum est quod dixit S. Franciscus Salesius « tanti esse momenti

munus directoris spiritualis ut directorem nostrum eligere debeamus inter mille, et talem inventum æstimare ut pretiosissimum thesaurum ? »

2. An non sum de numero confessariorum, qui aliud non faciunt in tribunali pœnitentiæ, quam imponere pœnitentiam et impertire absolutionem ?

3. An ipse habeo directorem animæ meæ stabilem, doctum, pium, prudentem, mei progressus et meæ perfectionis sollicitum ?

4. Et si aliqui confratres dignentur mihi committere curam animæ suæ et confidere meæ directioni, an hoc præstantissimum munus erga eos exerceo *libenter*, *suaviter* simul et *fortiter ? Libenter* quidem,considerans hoc ministerium ut nobilissimum, utilissimum, valde meritorium ; quia qui sanctificat pastorem,censetur sanctificare totum gregem. *Suaviter*, ostendens me paratum omni tempore, excipiens eos cum magna benignitate, patienter perferens defectus illorum et relapsus, animans eos semper et erigens ad spem et fiduciam. *Fortiter*, firma voluntate et constanti, adhibens remedia ne relabantur, immo potius ut progrediantur in bona via.

Uno verbo, an erga confratres quos habeo pœnitentes,me exhibeo *patrem*, præ me ferens patris *caritatem*,*vigilantiam*,*constantiam*, *firmitatem ?*

5. An exigo a sacerdotibus, quos dirigo, duo quæ sunt maximi momenti in vita sacerdotali, *orationem* et *studium ?*

6. An conor eos inducere :

*a)* Ut surgant hora statuta ?

*b)* Ut meditationem instituant quotidie ?

*c)* Ut vespere *serio* examinent conscientiam ?

*d)* Ut nunquam omittant recitationem coronæ B. M. V. ?

*e)* Ut quotidie aliquid legant ex libro pio et solide scripto, saltem per spatium quadrantis ?

*f)* Ut habeant et fideliter sequantur ordinem diurnum ?

7. Si aliquis rumor minus favens, si minutio æstimationis, si suspiciones incipiant esse, an *mature*, *sincere*, *paterne*, per me vel per amicos solco eos admonere, ut caveant ?

8. Si ægrotant, an sollicite eos visito, omnem adhibens curam ut moriantur morte justorum ?

Assidue petamus a Deo, præsertim per totum mensem sequentem, hæc duo : 1° ut nobis singulis det bonum directorem spiritualem eique obediamus in spiritu fidei ; 2° ut et nos evadamus tandem aliquando animarum directores *serii* et vere *utiles*.

# RECOLLECTIO VII.

## MEDITATIO.

### De Præsepio JESU.

1. Præl. Vivide nobis repræsentemus stabulum et Præsepium in quo jacet JESUS recenter natus.

2. Præl. Petamus gratiam intime cognoscendi Dominum, qui pro nobis factus est homo, ut eum magis amemus et fidelius sequamur.

Possumus merito de Præsepio JESU dicere quod dixit S. Augustinus de Cruce Domini, scilicet, Præsepium JESU esse

*cathedram docentis,*
*tribunal judicantis,*
*thronum miserentis.*

Cathedra est piis sacerdotibus;
tribunal est sacerdotibus mundanis;
thronus est sacerdotibus afflictis.

Hanc triplicem propositionem cum simplicitate evangelica expendamus.

I^um^ PUNCTUM. — **Cathedra docentis.**

Præsepium JESU est cathedra piis sacerdotibus. *Pios* sacerdotes voco illos

qui, ducentes se in omnibus spiritu fidei, magni faciunt suam sublimissimam vocationem, et persuasum habentes vitam suam brevissimam esse et ab ea pendere suam æternitatem, *esuriunt* et *sitiunt* justitiam, ut certo consequantur beatitudinem a Domino promissam. Tales semper parati sunt adhibere generosos conatus ad cognoscendam viam sanctitatis, ut eam sine intermissione, firmo pede percurrere valeant.

Eos, de suo Præsepio, tacitus docet Jesus virtutes vere sacerdotales, nempe *humilitatem*, *paupertatem*, *patientiam*, *castitatem*.

1. Docet eos *humilitatem*.

O sacerdos, qui contemplaris Parvulum in Præsepio jacentem, audi divum Paulum de eo dicentem : « Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus. » (Philip., II, 6, 7.)

Disce ergo, sacerdos, temetipsum exinanire. « Esset enim, ait S. Gregorius Magnus, intolerabilis impudentia

ut, ubi se exinanivit Majestas, ibi vermiculus infletur et intumescat. »

Sed quid est se exinanire ! Est non quærere gloriam suam, sed gloriam Dei ; est bona sua non sibi attribuere, sed Deo; est minime dijici animo propter humiliationem ; est de omni tribulatione gaudere et dicere cum Apostolo : « Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. » (II Cor., VII, 4.)

2. Docet eos *paupertatem.*

Stabulum vides, o sacerdos, angustum valde, sordibus squalidum, omni vento et pluviæ patens ; vides Præsepium, animalium usui, non hominum, destinatum, in cunas conversum, palea parcissima instructum; vides Parvulum jacentem, non aureis aut pretiosis fasciis indutum, sed pannis vilibus involutum. Nullus sane diffitebitur summam hanc esse paupertatem, pro primo *tugurio* habere stabulum, pro *cunis* Præsepium, pro *lectulo* paleam, pro *fasciis* pannos.

Attamen hunc Parvulum, quantumvis pauper, egenus, ab hominibus derelictus sit, Filium esse Dei, ipsum Deum esse, testatur fides, « Deum

verum de Deo vero, per quem omnia facta sunt. » Alio sane modo, splendidiore et regio apparatu inter homines apparuisset, si voluisset ; noluit. Maluit omnibus rebus carere, ut disceres, o sacerdos, æstimare et amare paupertatem, eosque diligere speciali dilectione qui vere pauperes sunt. Noli oblivisci « beatos esse pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.» (Matth., v, 3.)

3. Docet eos *patientiam.*

Ecce « in propria venit, et sui eum non receperunt; » abjecerunt eum, dixit Propheta, quasi esset vermis, et non homo. Et tamen non conqueritur ; tacet derelictus, ut postea tacebit accusatus et injuste condemnatus. Conqueri potuisset de hominum crudelitate erga se, erga Matrem suam ; mavult tacere, et sic, ait S. Ambrosius, tacendo contra dolos inimicorum dimicavit et silendo retulit de eis victoriam. Silentium Jesu, silentium triumphale !

Disce ergo, sacerdos, non facile conqueri de minima injuria accepta, de minima ærumna, de laboribus tuis, de

tuis infirmitatibus. Utere et tu silentio triumphali frequenter et multiplicabis victorias.

4. Docet eos *castitatem.*

Filius Virginis virgineis manibus gestari voluit et tractari. Nonne virgineæ manus Mariæ? Nonne virgineæ manus Joseph? Atqui quot facere licuit Mariæ et Joseph erga puerum JESUM in stabulo, tibi, o sacerdos, facere licet in altari. In altari gestas tu et tractas quotidie virgineum corpus JESU; an manibus virgineis? Virgineæ erunt manus tuæ, si virginea fuerit mens tua, si virgineum fuerit cor tuum. Ergo doceat te contemplatio Præsepii Domini æstimare castitatem sacerdotalem; doceat te eam amare; doceat te eam perfecte colere, id est, in summo gradu. Primus es inter homines tua *dignitate*, primus sis tua *castitate.*

Profecto convenit ut pius sacerdos frequentet scholam virtutum sacerdotalium. Petat frequenter a JESU de Præsepio docente, qualis esse debeat sua humilitas, qualis sua paupertas, qualis sua patientia, qualis sua castimonia.

III^m PUNCTUM. — Tribunal judicantis.

Præsepium JESU est tribunal *sacerdotibus mundanis*. *Mundanos* vocamus sacerdotes qui se sinunt duci spiritu mundi.

Mundus docet hominem non posse esse felicem nisi continue augeatur *divitiis*, nisi splendeat *honoribus*, nisi diffluat *delitiis*.

Propterea sacerdotes mundani æstimant, diligunt et quærunt magna cum diligentia bona temporalia, honores, famam, magni nominis existimationem, vitæ commoda atque jucunditates.

Non sapiunt tales, non quærunt quæ *sursum* sunt, sed quæ *in terris*. Terreni sunt toti : nonnisi de terrenis cogitant, nonnisi de terrenis loquuntur : conspiciuntur nonnisi terrena anhelare.

Tales sacerdotes accedant ad Præsepium JESU, et intelligent quam severe a JESU judicentur.

Videor mihi audire JESUM unicuique eorum dicentem :

Elegeram te, o sacerdos, inter mille. Magnis sumptibus parentum tuorum

et maximis curis per plures annos te excolui, ut aliquando et tu ad altare ascendere posses. Te auxi sacerdotio; te ad sublimissimam dignitatem evexi, ut tibi et multis aliis aperires fontem veræ felicitatis. Et ecce, video te, o sacerdos, ut plerique homines mundani faciunt, video te cum magno labore tibi effodientem *cisternas dissipatas*, quæ aquas felicitatis continere non possunt.

1° Cisterna dissipata tibi sunt illa *bona temporalia* quibus inhias; pro quibus tibi comparandis, tanta est sollicitudo; quorum minima jactura tanta te solet afficere tristitia.

Erras, fili mi, erras. Nullus sacerdos unquam in possessione divitiarum felicitatem invenit. A quo cœpisti divitiis adhærescere, minus felix es, et factus es miser.

Si divitiæ cor humanum beare possent, eas amicis meis, cum in mundum veni, dedissem, pretiosissimam earum partem delectis meis sacerdotibus reservassem; eis sane auxissem benedictam meam Matrem et Patrem meum nutritium. Sed ecce pauper in

mundum veni, pauper victurus, in summa paupertate moriturus, ut intelligeres, o sacerdos, in quanto verseris errore, concupiscendo bona temporalia.

2° Cisterna dissipata tibi sunt *honores*, quorum te tenet tantum desiderium ; propter quos video te fratribus tuis invidentem ; quorum amissio te necat mœrore et animi dejectione.

Erras, fili mi, erras. Nullum sacerdotem dignitates felicem fecerunt, et multis fuerunt onus, onus grave, onus periculis plenum.

Si honor, si hominum existimatio, si humana gloria, donare possent hominem felicitate, cum iis venissem in mundum ; ea dedissem amicis meis, honore et gloria circumdedissem sacerdotes meos.

Sed ecce a primo instante vitæ meæ mortalis, amplexus sum hominum contemptus atque opprobria. Jaceo hic tamquam mendiculus, tamquam pauperculus, quem mundus non aspectu et vix compassionis affectu dignatur. Et hoc volui, ut disceres tu, o sacerdos, in quanto verseris errore, dum concupi-

scis gloriam humanam, honores, dignitates.

3° Cisterna dissipata sunt tibi *commoda vitæ*. Video te, o sacerdos, sedulo caventem ab omni re quæ tibi aliquid molestiæ afferre posset. Totum te video in procurando tibi quidquid jucundiorem, commodiorem potest reddere vitam tuam. Video te per omnia eligentem quæ exquisitiora sunt, sensualem te video, et sensualitati tuæ indulgere te sæpius scio.

Erras, fili mi, erras. Quis sacerdos unquam ex sua sensualitate veram hausit felicitatem? Amissio temporis, tædium cordis, minor proximi ædificatio, bonorum in pauperum subsidium destinatorum minutio, ecce fructus quos ex tuo errore accepisti.

Si vitæ commoda, si sensuum jucunditates, si humanæ deliciæ cor hominis felix facere potuissent, iis me circumdatum mundo ostendissem ; omnibus eorumdem fontem aperuissem, et præsertim sacerdotibus meis.

Sed ecce me vix natum vides circumstare *egestatem, angustias, incommoda.*

Nascor hieme summa, nocte intempesta, sub frigido cœlo, in loco ventis omnibus pervio, cum defectu præsidiorum omnium, tenellæ huic ætati necessariorum, ut te, o sacerdos, ad hæc omnia erudirem.

O mi JESU, hoc tuo judicio moveantur ii sacerdotes, qui non sat serio cogitant de bona æternitate sibi comparanda ; qui vivunt in dies et in horas negligentes suæ perfectionis ; qui non majorem præ se ferunt pietatem, mortificationem, caritatem, quam illi qui in sæculo vivunt. Fac, o mi JESU, ut omnes sacerdotes tui crucifixi sint mundo, ut Tu mundo crucifixus apparuisti ab infantia tua !

III^um^ PUNCTUM. — **Thronus miserentis**

Præsepium JESU est thronus miserentis sacerdotibus afflictis.

Quis sacerdos bonus non expertus est hanc terram esse lacrymarum vallem ? Utique « multæ tribulationes justorum » (Ps., XXXIII, 20), et cum plerique sacerdotes numerandi sint inter justos, cum veritate dicere possu-

mus « multas esse tribulationes sacerdotum ».

Propterea ex suo Præsepio hæc suavissima verba ad dilectos suos sacerdotes dirigit JESUS: « Venite ad me omnes qui laboratis... et ego reficiam vos. » (Matth., XI, 28.)

O tu, sacerdos, qui infirmitate et senectute pressus, tribularis ex eo quod vix jam vales te movere ; accede ad meum Præsepium et aspice me ligatum fasciis et pannis involutum, et gaudebis quod intelligas te habere socium tribulationis tuæ.

O tu, sacerdos, qui cogeris vivere parcissime, et doles quod non habeas unde copiosius adjuves pauperes ; accede ad meum Præsepium, et aspice me jacentem, privatum omnibus rebus, redactum ad summam egestatem, et gaudebis de tua paupertate.

O tu, sacerdos, qui tristaris propterea quod te homines negligere videantur ; quod te dent oblivioni ; quod te injuriis lacessant ; quod injuste erga te agant ; accede ad meum Præsepium, adspice me jacentem, rejectum ab

hominibus, in stabulum relegatum, et gaudebis de opprobriis tuis, de tua humiliatione.

O tu, sacerdos, qui te vides obnoxium temerariis suspicionibus ; qui falso accusaris; qui amisisti famam tuam et superiorum tuorum fiduciam ; accede ad meum Præsepium, et adspice me jacentem inter bruta animalia, et gaudebis de tua sorte.

O tu, sacerdos, qui his luctuosis temporibus, vere gravaris oneribus ad sustentandas scholas parvulorum, accede ad meum Præsepium, et adspice me parvulum ; gaudebis, intelligens mihi fieri quidquid feceris minimo ex fratribus meis.

Quotquot patimini aliquam tribulationem, accedite confidenter ad hunc thronum miserentis ; sum enim Deus vester, amicus vester; omnipotens sum, benignus et misericors ; « sum via, veritas et vita ; qui sequitur me, non ambulat in tenebris. » Stabulum est primus terminus viæ quam vobis ostensurus sum ut perveniatis ad cœlum. Jurastis vos me secuturos ; mementote

ergo, o mei filii dilectissimi, me non admittere ad premenda mea vestigia nisi eum qui abneget semetipsum et tollat crucem suam.

## EXAMEN.

### Circa recitationem breviarii.

1. An mihi sufficiens *æstimatio* Divini Officii?

An non solet mihi esse Divinum Officium onus *grave*, quia illud male recito?

An mihi persuasum est post missæ sacrificium, Divinum Officium esse sacrificium maximum, sacrificium scilicet *laudis?*

An mihi persuasum est, me, dum recito Breviarium esse organum Spiritus sancti, legatum Ecclesiæ apud Deum, mediatorem inter homines et Deum?

An mihi persuasum est, si male recitem Breviarium, multa jura lædi, nempe jura Dei, Christi, Ecclesiæ, reverentiæ verbo Dei debitæ, sanctorum, fidelium viventium et defunctorum, et me mihimetipsi ingens inferre damnum?

2. An mihi sufficiens *diligentia* in recitatione Divini Officii, quoad *tempus*, quoad *locum*, quoad *situm*, quoad *modum* recitandi?

*a*) An recito tempore opportuno? An non forsan post omnes alias actiones?

*b*) An in loco convenienti, ubi non nimiæ distractiones?

*c*) Quo situ? An reverenti? et modesto?

*d*) Qualis recitatio? An non fit nimis præcipitanter?

An non strepitose? An non scrupulose? An non quædam repeto anxie, cum dispendio temporis? An non facile interrumpo recitationem sine necessitate?

3. An uti soleo sequentibus industriis:

*a*) Singulis horis præmittere aliquam *intentionem* specialem, ad renovandam attentionem et ad nutriendam devotionem?

*b*) *Incipere* singulos Psalmos, paulo lentius quam soleo recitare reliqua?

*c*) Aliquantulum inclinare caput ad verba *Gloria Patri* et hæc recitare paulo lentius, attentius et affectuosius?

O Domine JESU, veniam rogo de tepida mea recitatione Breviarii; fac ut deinceps Divinum Officium mihi sit, ut est sanctis sacerdotibus, onus *leve, jucundum, fructibus abundans.*

# RECOLLECTIO VIII.

## PRIMA MEDITATIO.

S. Franciscus Salesius angelus caritatis.

SANCTUS Franciscus Salesius apparuit inter homines ut *angelus*, et propterea D. Guéranger eum vocat, in suo opere liturgico, *Pontificem nostrum angelicum*.

Et re quidem vera angelus fuit sua *caritate;*

angelus fuit sua *pietate;*

angelus fuit sua *castitate.*

Utinam et nos nostra caritate, nostra pietate, nostra castitate inveniamur esse angeli! Serio coram Deo exemplar nobis propositum contemplemur, ut, sicuti ipse vixit, ita et nos vivere conemur.

1. Præl. Nobis repræsentemus S. Franciscum conscribentem libros vel parantem conciones diligenter.

2. Præl. Petamus a Deo gratiam practice diligendi proximum, ad exemplum S. Francisci.

### Ium PUNCTUM.

Ex frequenti lectione sancti Evangelii intellexerat Franciscus Dominum

JESUM nihil expressius aut vehementius suis discipulis commendasse quam mutuam dilectionem ; et a quo tempore id intellexerat, firmiter statuit omnes intendere nervos ut, opitulante Dei gratia, ad summum gradum caritatis perveniret.

Toto homine diligebat proximum suum :

eum diligebat *mente ;*
eum diligebat *corde ;*
eum diligebat *ore ;*
eum diligebat *opere.*

1. Eum diligebat *mente.* De omnibus bene cogitabat..... longe a se arcebat judicia temeraria... suspiciones injustas... interpretationes malignas... et ea omnia quæ in mente tot hominum solent excitare turbationes et tempestates.

2. Eum diligebat *corde.* In corde suo nullum unquam nutrivit *rancorem*... nullam a quovis *aversionem*... nullum, quantacumque accepta injuria, *vindictæ appetitum*.....

Contra in se experiebatur ingens desiderium omnes homines, etiam

adversarios et inimicos, reddendi vere felices.

3. Eum diligebat *ore*. Nunquam auditus est aliquem lædere sermone... de aliquo detrahere... alicujus existimationem verbis minuere... de talento, de virtute, de merito alicujus injicere minorem opinionem... animum alicujus contristari convicio vel voce imprudenter jocosa... Neque auditus est unquam aliquem alloqui vel durius vel acerbius... Nunquam ex ore ejus excidit verbum quod saperet animum vel minime impatientem... Quid autem Francisco suavius?... Mel in labiis diceres, adeo ut nunquam visus credatur inter homines vir jucundior, gratior, amabilior.

4. Eum diligebat *opere*. Siquidem, teste sancto Gregorio Magno, probatio amoris est ipsa operis exhibitio, immensus fuisse videbitur amor S. Francisci. Ex amore hominum tot ac tanta exhibuit opera, ut vix intelligere possimus quomodo ipsius vita, non sane longa, suffecerit tantæ operum moli.

Plusquam septuaginta et duo millia hæreticorum convertit ad fidem et peccatores innumeros ad meliorem frugem reduxit... Interea Congregationem monialium constituit et rexit; diœcesim per plures annos sapientissime gubernavit; plures libros, eosque doctissimos scripsit; sæpissime concionatus est per varias civitates Galliæ; et dum domi versabatur, quicumque se offerebant ad colloquium, eos admittebat; absentes vero frequenti epistolarum commercio dirigebat, sustentabat, consolabatur... In his peragendis multa et non levia offendebat impedimenta; sed amor quo flagrabat, omnia superavit, amor enim ardua vincit.

II^um^ PUNCTUM.

Unusquisque nostrum jam videat an mereatur, ut S. Franciscus Salesius, gloriosum nomen *angeli caritatis*.

1. An nobis est caritas in *mente?* Quot forsan judicia caritati contraria! Nonne facilius prorumpo in suspiciones minime fundatas?

An non soleo proximi opera, verba,

intentionem interpretari in partem minus benignam ?

2. An nobis est caritas in *corde ?* Quale meum desiderium felicitatis aliorum ? An non potius eorum felicitati invideo ? An non mihi alta mente reposita manet injuria ? An nulles erga aliquem rancor ? An nulla ab aliquo voluntaria aversio ? An non mihi animus est rependere malum pro malo ?

3. An nobis est caritas in *ore ?* An sermo meus suavis, apertus, sincerus, spirans caritatem ? An neminem videor lædere duriore modo loquendi, acerbiore modo imperandi, imprudentiore modo jocandi ? An suavis et opportuna mea ratio reprehendendi delinquentes ? An verbis meis nullius existimationem violavi ? Nullius auctoritatem minui ? Nulli scandalum præbui ?

4. An caritas in *opere ?* Quosnam complectimur caritate ? An omnes ? An dilligo superiores ut *patres ?* æquales ut *fratres ?* subditos ut *filios ?* Alios sacerdotes tam de clero regulari quam de clero sæculari, ut *commilitones,* stipendia

merentes sub eodem vexillo, sub vexillo crucis ?

O utinam fructus præsentis recollectionis sit paulo melius, paulo generosius, paulo universalius diligere fratres! Quanta lætitia afficeremus cor S. Francisci, et præsertim quanta lætitia afficeremus Cor Jesu ! Ecce S. Franciscus cognovit Cor Jesu; in Cor Jesu ingressus est ; ibi fixit habitationem suam, et adeo conjunctus fuit cordi Jesu, ut a Corde Jesu mutuatus sit ea per quæ Jesus excellere voluit inter homines, humilitatem, mansuetudinem, caritatem. Et nos ingrediamur in Cor Jesu, ibi figamus habitationem nostram; Cordi Jesu arctissime uniamur, et sine dubio mutuabimur et nos a Corde Jesu angelicam caritatem.

## ALTERA MEDITATIO.

Applicatio sensuum ad mortem.

I. Præl. Unusquisque semetipsum repræsentet jacentem in sepulcro.

II. Præl. Petamus gratiam fructuose prævidendi quæcumque pertinent ad nostram mortem.

Mente applicemus quinque *sensus* ad mortem nostram, in singulis punctis reflectendo ad nos, ut aliquem fructum capiamus.

I^um^ PUNCTUM.

*Videre*.... me decumbentem... corpus meum macie tabescens... circumstantes personas... confessarium... cadaver meum positum in lectulo funebri... in feretro... in sepulcro... post aliquot dies, vermes... post aliquot annos, ossa arida... Transierunt omnia! Quid est homo!

II^um^ PUNCTUM.

*Audire*... sonitum horologii per noctes insomnes... suspiria mea... confabulationes propinquorum... vocem medici dicentis: *Mortuus est*... sonum campanæ annuntiantis obitum meum... cantum funebrem... silentium de me post aliquot dies! Ad quid igitur tam sollicitus sum de hominum existimatione? Modo de me tacebunt in æternum!

III^um^ PUNCTUM.

*Olfacere*... fœtorem corporis mei morbo corrupti... odorem cereorum circa lectum funebrem accensorum, thuris quod comburitur... fœtorem cadaveris... sepulcri...

IV^um^ PUNCTUM.

*Gustare*... *amaritudines* si moriar post

vitam tepidam... *jucunditates*, si moriar bene dispositus... si multum laboraverim... si passus fuerim multum.

V^um^ PUNCTUM.

*Tangere*... feretrum... sepulcrum... frigus cadaveris... vermes... pulverem... ossa arida...

Instituatur *colloquium* fervens cum Christo Domino moriente in cruce, ut nobis det gratiam moriendi morte justorum.

---

EXAMEN.

Circa celebrationem missæ.

I. Quænam est mea *æstimatio missæ ?*

1° An æstimo missam ut actionem centralem, ad quam convergere debent omnes aliæ actiones ?

2° An mihi est missæ celebratio quod est sol in cœlo ? Quotidie oritur sol in splendore suo ut totum mundum impleat lumine et fecunditate ; eodem modo in splendore suo oriri debet sacrificium sacerdotis ut effundat in terram lumen spirituale et fecunditatem cœlestem.

3° An non soleo habere missæ celebrationem ut actionem ordinariam, quam proinde non teneor majore diligentia peragere quam alias meas actiones ?

II. Quænam mea ad missam *præparatio?*

1° An utor præparatione *remota*, vitando peccatum, conservando animi recollectionem, adhibendo mortificationem sensuum, præ me ferendo ubique oculorum modestiam et gravitatem sacerdotalem?

2° An utor præparatione *proxima*, aliquantulum tempus impendendo meditationi vel piæ precationi?

3° An non facilius colloquia instituo in sacristia, paulo ante missam, ita ut accedam distractus ad altare?

4° An induo me vestibus sacerdotalibus modeste, animo recollecto, cum attentione ad preces quas jubetur recitare sacerdos ad varias vestes quas induit?

III. Quænam est mea missæ *celebratio?*

1° An celebro *attente*, *devote*, *reverenter?*

2° An non quædam levitas in gestibus?

3° An non nimia præcipitantia in pronuntiatione?

4° An teneo manus, an elevo vel demitto oculos, an inclino corpus vel erectum habeo, prout id præscribunt Rubricæ?

5° An signum crucis efformo lente, cum quadam gravitate et cum pietate?

6° Dum verto me ad populum, an non curiose et plenis oculis aspicio adstantes, forsan cum scandalo vel certe cum minore ædificatione?

7° An excito me ad devotionem, cogi-

tando identidem quænam personæ concurtant mecum ad offerendum hoc sacrificium? Etenim :

*a*) Concurrit Christus, in quantum homo; Christus enim est principalis sacerdos offerens.

*b*) Divinæ Personæ per Deitatem suam, tamquam causa principalis prima, concurrunt ad omnes actiones sacerdotis internas et externas.

*c*) Et præter concursum hunc in genere causæ efficientis,etiam Deus intime præsens nobis, omnia ista videt quæ facimus.Quanta igitur cum reverentia et devotione sunt omnia peragenda !

*d*) Sunt et præsentes personæ angelicæ. « Locus altari vicinus, ait S. Chrys., in illius honorem qui immolatur, angelorum choris cinctus est. »

IV. Quænam est mea *actio gratiarum ?*

1° An eam non facile omitto ?

2° An eam non decurto sine ratione ?

2° An eam non facio oscitanter, frigide, absque attentione, absque animo ?

4° An efformo illos actus pietatis quos scimus JESU valde placere, ut sunt :

*a*) eum adorare ;

*b*) ei gratias rependere ;

*c*) ei offerre cor nostrum et quidquid habemus ;

*d*) fiducialiter postulare quæ desideramus;

*e*) ad pedes ejus renovare bona proposita.

O mi JESU, humiliter precor ut mihi condonare digneris omnes negligentias quas admittere soleo in missæ celebratione. Doleo vehementer quod actioni tam sanctæ, tam sublimi vacavi non raro frigide, indevote, absque reverentia. Fac, o JESU, ut unus ex fructibus hujus recollectionis sit firmissimum et inviolabile propositum nunquam celebrandi missam nisi *digne, sancte* et *ferventer*.

# RECOLLECTIO IX.

## PRIMA MEDITATIO.

S. Franciscus Salesius angelus pietatis.

1. Præl. Conspiciamus S. Franciscum, reverenter et ferventer vacantem meditationi.

2. Præl. Petamus a Deo gratiam orandi sancte et fructuose ad exemplum S. Francisci.

Audiverat Psalmistam dicentem ; «Mihi autem adhærere Deo bonum est.» (Ps., LXXII, 28.) Voluit et ipse Deo adhærere, et Deo adhæsit tota mente, toto corde, totis viribus, sine intermissione, in dies semper magis atque magis stringens vinculum quo Deo suo alligabatur, et experientia didicit revera sibi bonum fuisse Deo adhærere.

Sed quid est *Deo adhærere ?*

1. *Deo adhærere* est firmissima fide credere Deum esse hominis finem, simul et fontem omnis felicitatis ; Deum esse refugium hominis tutissimum, defensorem, patrem, amicum, remuneratorem. Hoc firmiter credebat S. Franciscus, et hæc fides ipsi *fax* erat qua duce-

bantur gressus ejus, simul et *scutum* quo protegebatur adversus omnes suos nimicos.

An ego sic Deo adhæreo ?

2. *Deo adhærere* est fidere Dei promissis ; est dicere cum divo Paulo : « Scio enim cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare. » (II Tim., I, 12.) Plene in Deo sperabat Franciscus, et sine hæsitatione suam sortem committebat divinæ Providentiæ. Minime dubitabat de bonitate, de sapientia, de potentia Dei sui. Cum apostolo dicebat: «Omnia possum in eo qui me confortat. » (Phil., IV, 13.)

An ego sic Deo adhæreo ?

3. *Deo adhærere* est Deum ut summum Bonum amare super omnia, toto corde, totis viribus ; est Deo dicere cum alio magno servo Dei : « Deus meus et omnia.» O quis poterit verbis æquare flammas quibus urebatur pectus illud, sua natura aptissimum ad amandum quidquid amabile ei offerebatur ? Toto impetu impellebatur ad hoc centrum suæ felicitatis die ac nocte. Quoties auditus est exclamare : « O mi

Deus, amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori ! »

An ego sic Deo adhæreo ?

4. *Deo adhærere* est semper et in omni re prospera et adversa conformare voluntatem suam voluntati Dei ; est dicere cum Filio Dei : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me. » (Joan., IV, 34.) Nunquam, vel per momentum, expertus est Franciscus in se voluntatem, Dei voluntati contrariam. Si quando ei offerebatur calix amaritudinis, cum JESU dicebat sincerissime : « Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste ; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. » (Matth., XXVI, 39.) Propter hanc promptam acceptationem beneplaciti divini, credebatur vir sanctissimus ignorare quid sit habere crucem. Crucem tamen habuit ; multiplicem crucem portare coactus est, sed tam ardenter crucem amabat, ut amore crux ei in jucundissimum jugum converteretur.

An ego sic Deo adhæreo ?

5. *Deo adhærere* est continuo intimoque frui commercio cum Deo, ope exer-

citiorum spiritualium. Exercitia spiritualia adeo æstimabat Franciscus, ut pro nulla re mundi, nisi coactus necessitate, ea vel omitteret, vel decurtaret, vel in aliud tempus differret. Firmissime ei per totam vitam stabat hoc principium: *Primas primis;* scilicet « demus semper primas partes æstimationis et diligentiæ rebus spiritualibus, utpote principalioribus actionibus diei. » Licet obrutus mole occupationum, licet fatigatus itinere, labore et prædicatione, licet afflictus infirmitatibus et capitis dolore, orabat frequenter, orabat ferventer, oratione se Deo conjungebat.

An ego sic Deo adhæreo?

6. *Deo adhærere* est uti sancta familiaritate in modo agendi cum Filio Dei. Jesus, in Tabernaculo commorans, Francisco erat amicus amicissimus, inter omnes carus, cui plene confidebat; cui filiali simplicitate communicabat et gaudia sua et suos mœrores; quocum confabulabatur quotidie ut filius cum patre, ut frater cum fratre, ut amicus cum amico. In hac sancta familiaritate inveniebat Franciscus fontem luminis,

roboris, consolationis. Tabernaculum ipsi paradisus erat, et in hoc paradiso videbatur vir Dei renovare in se felicissimam conditionem, qua gaudebant primi parentes nostri in paradiso terrestri ante lamentabilem suum lapsum. Dum stabat Franciscus ad altare, erumpebat e corpore nescio quid angelici, quod corda omnium attrahebat ad ipsum.

An ego sic Deo adhæreo ?

Faxit Deus ut ab hoc momento unusquisque nostrum incipiat experiri quam bonum sit adhærere Deo et in eo solo ponere spem suam !

## ALTERA MEDITATIO.

### Finis venit.

1. Præl. Unusquisque se videat jacentem exanimem in lectulo funebri, jamjam demandandum sepulcro.

2. Præl. Petamus gratiam ita vivendi ut tranquillo, ut securo animo ingredi possimus domum æternitatis nostræ.

Perpendamus hæc verba : « Finis venit, venit finis, evigilavit adversus te; ecce venit.» (Ezech., VII, 6.)

Utique finem excipiet vita nostra. Etenim

statutum est hominibus semel mori, post oc autem judicium. » (Hebr., IX, 27.)

I^um PUNCTUM.

*Quandonam* veniet finis?... *Ubi* me deprendet?... *Quomodo?*... *Qua* circumstantia? Nullus potest respondere.

Unum certum est, nempe quod veniet.

Quid inde concludendum? « Ergo estote parati. »

II^um PUNCTUM.

*Qualis* erit iste finis? Pendet a nostra voluntate. Erit aut felix aut infelix. Consequentia erit aut æternitas *bona*, aut æternitas *mala*.

Æternitas bona est acervatio omnium bonorum, et exclusio omnium malorum.

Æternitas mala est acervatio omnium malorum, et exclusio omnium bonorum.

Utraque sors æterna. Prior summe desiderabilis, altera summe detestabilis.

En veritas de qua nullus dubitare potest; veritas magna, veritas formidanda. O mi Deus, percellit me hæc cogitatio. Vita mea brevis; vita mea incerta : excipiet certissime finem ; nescio quando, quomodo, ubi ; et tamen ab hoc exitu pendet mea æternitas! A momento æternitas! Alii faciant quod eis placuerit ; ego volo mihi procurare exitum vitæ felicem, novi enim hanc sententiam : Semel periisse æternum est.

### III^um^ Punctum.

Quisnam *erit* finis vitæ nostræ?

Hoc possumus conjectare ex *via* per quam ambulat homo.

Pro sacerdotibus quadruplex distinguitur via: una est *lucidissima;* ducit recte ad cœlum; percurritur a sacerdotibus *sanctis.*

Secunda est plena *pulvere;* ducit ad partes superiores purgatorii, ubi leviores pœnæ; percurritur a sacerdotibus plus minusve *imperfectis.*

Tertia est *lutosa;* ducit ad partes profundissimas purgatorii; percurritur a sacerdotibus *tepidis.*

Quarta est *sordibus* plena; ducit ad infernum; percurritur a sacerdotibus *malis.*

Quænam percurritur a me? Tu scis, o mi Jesu! Fac ut per hanc recollectionem me ponam, virili conatu, in viam quæ me certo certius perductura sit in cœlum. Hoc volo, o Jesu, cum gratia tua quam humiliter imploro. Amen.

---

### EXAMEN.

#### Circa orationem.

1. An in ordine meo diurno *primas* do partes æstimationis et diligentiæ *orationi*, utpote rei inter omnes præstantissimæ, nobis utilissimæ, Deo gratissimæ?

2. An oratio mea est *ordinata ?* An est in cubiculo, vel in sacristia, vel in ecclesia aliquis *locus* determinatus pro mea oratione, ita ut ibi sit genuflexorium, libellus meditationis, libellus precum, alia instrumenta quibus uti soleo ad orandum ?

3. An *tempus* orationis est determinatum? Nam, sicut est tempus laborandi, tempus manducandi, tempus se recreandi, ita tempus esse debet orandi ; et hic ordo, quem statuimus, sine necessitate non est invertendus.

4. An oratio mea semper est *Deo digna ?* An oro reverenter... attente... devote ?

5. An soleo, *antequam incipiam* orare, me aliquantulum colligere... Deum præsentem cogitare... ita genuflectere ut genuflexio vera sit adoratio... et tum devote me signare signo crucis... et lente pronuntiare prima verba orationis ?

6. An orando vocaliter non pronuntio verba præcipitantius, præsertim in Missa,... in divino Officio,... in recitatione Rosarii ?

7. Quomodo soleo me signare signo crucis ? An non festinanter et deformiter ?

8. An me non obruo tot precibus recitandis, ut necessaria sit distractio et animi fatigatio ? Satius est, juxta monitum JESU, pauca dicere Deo, sed ex toto corde.

9. An frequenter utor oratione *familiari*, colloquendo cum JESU et cum Maria ut

amicus loqui solet cum amico, filius cum matre, scilicet simpliciter... confidenter... spontanee... corde aperto ?

10. An oro *quiete*, hoc est in *loco* in quo nihil mentem turbat aut distrahit; et in *tempore* quo nihil urget ut festinem ?

11. An non soleo coronam marianam et Horas canonicas ad noctem differre sine necessitate ?

12. An utor devotionibus liberis, *breviter* et *suaviter*, id est libere et sine tristi necessitate, ita ut scrupulum non moveam mihi, si vel mutem, cum suadetur devotio melior, vel omittam, cum justa est causa ?

13. An utor precibus jaculatoriis *sæpe*, saltem semel omni hora ?... An *sincere*, id est, de corde, non ex ore tantum ?

14. An est mihi mos nullam actionem, quæ sit alicujus momenti, incipiendi sine brevi aliqua prece ?

15. Quomodo orare soleo ante et post refectionem corporalem ? An *reverenter* et *attente ?*

O Domine JESU, qui jubes nos semper orare, doce nos orare, ut orare docuisti dilectos discipulos tuos !

# RECOLLECTIO X.

## PRIMA MEDITATIO.

S. Franciscus Salesius angelus puritatis.

1. Præl. Videamus S. Franciscum conversantem cum hominibus modestissime.

2. Præl. Petamus a Deo gratiam exhibendi nos angelos nostra castitate.

I^um^ PUNCTUM. — **Puritatem æstimabat, amabat, colebat.**

1° Puritatem *æstimabat.*

Intellexerat puritatem reddere sacerdotem Deo suo gratum atque acceptum.

Intellexerat nulla re sacerdotem magis esse hominibus commendabilem quam sua puritate.

Non ignorabat Dominum JESUM sibi elegisse Matrem Virginem, Patrem putativum etiam virginem, discipulum præ cæteris diligendum virginem, suum Præcursorem virginem, et multis in circumstantiis virginitatem extulisse summis encomiis, et in morte Virginem Matrem discipulo virgini commendasse.

Sciebat Sapientem, ducente Spiritu

sancto, summopere laudasse puritatem, dum exclamaret mirabundus :« O quam pulchra est casta generatio cum claritate ; immortalis est enim memoria illius; quoniam et apud Deum nota est, et apud homines. » (Sap., IV, 1.)

2° Puritatem *amabat.*

Non solum æstimabat puritatem, sed eam vehementer appetebat... eam quærebat omni conatu... eam efflagitabat a Deo ferventissima prece... eam amore vero, constanti et ardenti prosequebatur.

3° Puritatem *colebat.*

Angelus mente, angelus corde, angelus etiam videbatur arcta sensuum custodia. Nunquam ex ore ejus aliquid vel minimum prolapsum est, quod non respiraret perfectissimam castitatem. Quidquid castum non erat, sedulo ab auribus amovebat ; quidquid castum non erat, amovebat ab oculis. Hinc illa *modestia* singularis quam omnes in eo admirabantur ; hinc constans *prudentia* in sermone; hinc vigilantissima *fuga* ab omni societate non pura, non decenti, non cauta.

IIum PUNCTUM. — **Sedulo vitabat impedimenta puritatis.**

Cavebat quam maxime ab illis tribus rebus, propter quas castitas sacerdotum quandoque triste fecit naufragium. Cavebat ab *otio*, cavebat a *potu*, cavebat a *muliere*.

1° Cavebat ab *otio*, quod legerat occasionem fuisse Davidi tristissimi lapsus. Propterea sibi confecerat *ordinem diurnum* quem sedulo observabat, ne unquam otians inveniretur, et sic exponeretur tentationi.

2° Cavebat a *potu*, vitans quidquid hac in re nimium fuisset vel nimis delicatum. Omnes qui de ipso scripserunt, laudaverunt stupendam temperantiam atque mortificationem.

3° Cavebat a *muliere*, non quod femineum sexum contemneret, vel suo ministerio non dignum reputaret ; sed legerat apud S. Augustinum hoc gravissimum monitum : « Sint piæ licet, sint pudicæ mulieres, quas frequentat clericus ; illa ipsa illarum virtus non raro subtilius allicit animum ; quo securius quis se putat, eo latentius insidiatur

inimicus, et quod spiritu cœptum est, non raro carne consummatur. Ergo sermo brevis et rigidus cum his mulieribus habendus est; nec tamen quia sanctiores sunt, ideo minus cavendæ. »

Memor horum verborum, S. Franciscus prudentissime conversabatur cum mulieribus cujuscumque conditionis, et hanc legem sibi præscripserat, nunquam colloquendi cum muliere *janua clausa;* quamdiu colloquebatur cum ea, volebat semiapertam esse januam et in vicinitate cubiculi esse aliquem sacerdotem qui videre posset quæ fiebant, non autem audire quæ dicebantur. Cum innumeris egit mulieribus et cum nulla unquam accidit vel minimum, quod obnubilare potuerit splendorem ipsius admirabilis puritatis.

III^um^ PUNCTUM, — **Puritatis fruebatur deliciis.**

Non mirum quod tantus amator puritatis, angelorum deliciis donatus fuerit etiam in hac mortali vita. Sicut angeli, videbat præ cæteris Deum suum semper, ejusque attributa cum ineffabili voluptate contemplabatur. Sicut angeli, ubique

suum cœlum secum ferebat, ubique fruens divina præsentia. Sicut angeli, tanta lætitia et tanta pace gaudebat, ut nulla res quantumcumque ingrata et injucunda eam potuerit vel minime turbare. Hinc in vultu ejus *serenitas* et *amœnitas* illa constans, quæ omnibus qui eum videbant ingerebat cogitationem hanc : Franciscum esse inter mortales, qui tunc vivebant, omnium felicissimum; felicissimum prædicabant omnes, et merito quidem, cum frueretur felicitate angelorum propter suam angelicam castitatem.

IV^um^ PUNCTUM. — Applicatio.

Quænam est nostra castitas ? An angelica ?

An sumus nos, sicut S. Franciscus, casti *mente*... casti *corde*... casti *sermone*... casti *agendi ratione ?* An nihil sub hoc respectu reprehensibile in nostra *imaginatione*... in nostra *conversatione*... in nostris *moribus ?*

Quænam cautio quoad oculos ? An non indulgemus naturali curiositati quæ nos impellit ad omnia videnda, ad

omnia legenda, ad omnia audienda? An vigilamus sensibus sufficienter ?

An et nos sedulo cavemus a triplici fonte malorum, ab otio, a potu, a muliere ?

An habemus et nos ordinem diurnum in quo non patimur esse vel unum momentum vacuum? An istum ordinem fideliter servamus ?

An in usu creaturarum, quæ nobis tam liberaliter concessæ sunt a Creatore, recordamur moderaminis et *temperantiæ*, quæ servanda proponunt fides et ratio ?

Fervens *colloquium* instituatur cum S. Francisco.

---

## ALTERA MEDITATIO.

### De quadruplici via.

Vidimus quadruplicem esse viam pro sacerdotibus, unam *lucidissimam*, aliam plenam *pulvere*, tertiam *lutosam*, quartam plenam *sordibus*.

In hoc exercitio consideremus, a quibus sacerdotibus unaquæque ex his viis percurratur.

1. Præl. Audiamus Deum nobis dicen-

tem: « Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis. Tene disciplinam, ne dimittas eam; custodi illam, quia ipsa est vita tua. » (Prov., IV, 11, 13.)

2. Præl. Petamus gratiam firmo pede percurrendi eam viam, quæ certe nos perductura sit in cœlum.

Iᵘᵐ Punctum.

Quinam sacerdotes percurrunt *primam* viam? Illi qui vivunt in simplicitate cordis... qui fideles se exhibent in omnibus... qui recte funguntur officio suo... qui in spiritu fidei obediunt legitimæ auctoritati... qui amabiles sunt et patientes, boni, ferventes et pii.

O quam felices dum vivunt! Quam felices dum moriuntur! Quam felices erunt in cœlo!

Tales fuerunt sacerdotes primitivæ Ecclesiæ; tales erimus et nos, dummodo observemus quæcumque observanda præscribuntur. Utinam omnes vocati ambulent in hac via lucidissima, passu generoso et constanti, quamvis obstent difficultates, impedimenta, conatus dæmonis et inimicorum. « Qui perseveraverit... hic salvus erit. » (Matth., X, 22.)

IIᵘᵐ Punctum.

Quinam sacerdotes percurrunt *secundam* viam? Illi qui admittunt multiplicem pul

verem in vita. Bona sunt, ferventes sunt, sed non sufficienter se vincunt in multis. Peccant per fragilitatem, per defectum considerationis, non autem deliberate vel omnino voluntarie.

Nolunt committere peccatum, sed in multis procedunt plus minusve inconsiderate, neque constantes sunt.

III^us^ Punctum.

Quinam sacerdotes percurrunt *mediam* viam? Sacerdotes vere tepidi. Negligunt multa. Negligunt meditationem, examen conscientiæ, visitationem sanctissimi Sacramenti, lectionem spiritualem, studium rerum sacrarum. Sensibus indulgent nimium. Nimium exquirunt vitæ commoda. Facile vituperant alios. Facile detrahunt animo. Murmurant sæpe. Peccata venialia bibunt ut aquam, absque ulla remorsu conscientiæ. Cedunt frequenter passionibus suis, præsertim superbiæ, impatientiæ, sensualitati, ignaviæ.

Viam percurrunt tales valde lutosam et salebrosam. Misere vivant et absque ulla consolatione. Ibunt in purgatorium? et quale purgatorium! Forsan per annos multos in eo commorabuntur.

IV^us^ Punctum.

Quinam sacerdotes percurrunt *mediam* viam?

1° Ii qui prorsus negligunt orationem.

2° Qui frequenter committunt peccata mortalia.

3°Qui mancipia se constituunt vitii turpis; qui adeo debilitarunt voluntatem ut nesciant resistere ulli tentationi.

4° Qui vivunt in statu sacrilegii. O quam miseri!

5° Qui occisores sunt animarum innocentium. Pessima sane via quæ a talibus percurritur, directe ducens eos ad infernum.

O mi JESU, fac ut a nullo sacerdote percurratur tam luctuosa via! Fac ut omnes serios adhibeamus conatus ad percurrendam viam primam, viam sanctorum, viam quam ipse tu, o Rex amantissime, dignatus es percurrere dum in terris vivebas.

## EXAMEN.

### Circa meditationem.

1. An meditationem instituo *quotidie?*... An determinato tempore? An loco convenienti?

2. An eam soleo præparare *pridie*, prævidendo fructum ex ea colligendum?

3. An utor libello meditationum prudenter selecto, doctrina referto, pio, non nimium diffuso? An sequor adagium: Timeo hominem unius libri? An non facilius muto meditationum libellum?

4. An meditor *juxta methodum*, scilicet an soleo :

*a)* ante omnia cogitare per spatium unius *Pater noster* quomodo Deus præsens sit et me respiciat ;

*b)* facere brevem orationem præparatoriam, qua peto a Deo gratiam ut omnes meæ intentiones, actiones, operationes pure ordinentur in servitium ac laudem suæ divinæ Majestatis ;

*c)* adhibere breve *præludium*, quo mihi propono materiam meditationis, et a Deo exposco id quod volo per meditationem obtinere ;

*d)* ad singula puncta applicare memoriam, intellectum, voluntatem, ita ut *memoria* objiciat menti rem considerandam, *intellectus* eam examinet ex omni parte, et *voluntas* affectus pios excitet et proposita formet ;

*e)* intermiscere considerationes precatiunculis : constat enim meditatio reflexionibus, affectibus, propositis, petitionibus ;

*f)* in fine meditationis instituere colloquium intimum, modo cum D. N. J. C., modo cum B. M. V., modo cum S. Joseph vel cum alio sancto, sicut amicus loquitur ad amicum, vel petendo aliquam gratiam, vel incusando me ipsum mali alicujus commissi, vel communicando res meas et efflagitando consilium de illis ?

5. An post cubitum, ante somnum, mo-

dico temporis spatio, cogito de hora qua surgendum erit, et de meditatione facienda?

6. An statim ac surgo mane, revoco in mentem materiam meditationis?

7. An inter meditandum non quæro commodiorem corporis situm, quo facilius abripior ad somnum?

8. An non facilius meditationem differo in aliud tempus, decurto vel omitto propter tædium vel desolationem?

An identidem noto scripto quædam *lumina* et *proposita*, quæ postea cum fructu potero relegere?

# RECOLLECTIO XI.

## PRIMA MEDITATIO.

De pietate sacerdotis erga Mariam.

1. Præl. Nobis repræsentemus Reginam cœlorum, benigno vultu aspicientem servos suos sibi devotos.

2. Præl. Petamus gratiam cognoscendi et implendi officia nostra erga B. M. V.

Convenit sane ut nos sacerdotes assidue Mariam *contemplemur*, Mariam *consolemur*, Mariam *imploremus*.

1um Punctum. — **Mariam contemplemur.**

Ad colendam Beatissimam Virginem habet unumquodque sæculum suam, ut ita dicam, praxim dominantem. Nostro tempore, hæc praxis dominans est, qua veneramur specialissima devotione ejus Immaculatam Conceptionem. A quo enim tempore Maria apparuit humili puellæ, in Gallia, eo modo quem refert notissima imago, omnes fere fideles hanc imaginem vel visitarunt in locis ubi publico cultu honoratur, vel in suis habent ædibus, ita ut ubique jam fulgeat. Hæc imago pro sacerdote non

muta est, sed eloquentissima ; loquitur suo modo et oculis nostris, et menti nostræ, et nostro cordi.

1° Exhibet hæc imago Virginem modestissimam, valde venustam, mente recollectam, suavem, amabilem, plenam dignitate et nobilitate, ita ut nullus eam possit aspicere quin moveatur ad admirationem et ad summam veneration-nem. — Discat sacerdos ita apparere inter homines ut omnes cogantur eum prosequi veneratione. Quænam est mea modestia, mea mentis recollectio ?

2° Virginis vultus respicit cœlum, quasi diceret nobis : « In cœlo patria vestra, non in terra. Quæ sursum sunt sapite, quæ sursum sunt quærite. Ubi thesaurus vester, ibi sit cor vestrum. Conversatio vestra sit in cœlis. » — Discat sacerdos contemnere terrestria ut anhelet cœlestia ; contemnere temporanea ut sibi acquirat æterna. Quales fuerunt hucusque affectus mei ?

3° Habet virgo manus supplices, innuens orationem nobis esse quam maxime necessariam. — Discat igitur sacerdos orare, oratione vera, humili,

familiari. An ego oro frequenter, reverenter, fiducialiter?

4° Suspensum in brachio conspicitur Rosarium; quod videns sacerdos non potest non in memoriam revocare exhortationes quibus Sanctitas Sua, Leo XIII, omnes fideles exhortatus est ad frequentem Rosarii recitationem. An ego soleo votis Sanctissimi Patris sufficienter respondere, nullum præteriens diem quin capiti Matris meæ hanc imponam coronam spiritualem?

5° Alba veste induta apparet Virgo, sic nobis commendans cordis munditiem et castitatem. — Discat sacerdos puritatem æstimare, amare, colere singulari diligentia. An ego sub hoc respectu respondeo plene Matris meæ exspectationi? An angelus sum mente, corde, sermone atque tota agendi ratione?

6° Præcincta est Virgo cingulo cærulei coloris; quasi diceret nobis: « Si angeli fueritis castitate, angeli eritis jucunditate. » — Discat igitur sacerdos sibi comparare gaudia non mundanorum, sed angelorum, gaudia sancta,

gaudia vera, quæ nulla vis e corde possit evellere. Ubinam hucusque mea gaudia quæsivi ?

IIum Punctum. — **Mariam consolemur.**

Quænam maxima consolatio Mariæ a sacerdotibus obvenire potest? Nonne si videat sacerdotes suo Filio *conjunctissimos*, Filio suo quam maxime *similes ?*

1° Si videat sacerdotes Filio suo *conjunctissimos*. Conjungitur sacerdos Jesu *amicitia, cooperatione, compassione.*

*a) Amicitia.* Oblivisci non potest sacerdos se habere in Tabernaculo amicum omnium perfectissimum, fidelissimum, sapientissimum, generosissimum, potentissimum. Gaudebit sane B. M. V., si videat sacerdotem frequenter adire Tabernaculum, ut filiali simplicitate et fiducia amico suo communicet res suas, et tristes et lætas; eo magis, quod non raro dolere debeat optima Mater, videns quomodo non pauci sacerdotes solum relinquant Jesum, et citius claudendo ecclesiam, alios prohibeant, quominus Dominum suum pro devotione possint invisere.

*b) Cooperatione.* Non potest oblivisci sacerdos se vocatum esse ad cooperandum Filio Dei ad opus omnium divinissimum, ad salutem animarum. Gaudebit B. M. V., si videat sacerdotem strenue laborantem cum Filio suo, ut quam plurimi homines salventur, ut quam plurimi sanctificentur. An fervet in me zelus animarum ? An non facio forsan opus Domini negligenter, fraudulenter ?

*c) Compassione.* Oblivisci non potest sacerdos se esse conregnaturum cum Christo, si ipsi compassus fuerit. Gaudebit B. M. V., si videat sacerdotem pati mala sua et adversa, eo animo quo ipse Jesus mala sua et adversa passus est in terris. An ego non facilius cado animo, quotiescumque aliquid injucundi mihi occurrit ?

2° Si sacerdotes videat Filio suo quam maxime *similes*. Vehementer desiderat B. M. V. ut sacerdos consequatur quam maximam gloriam in cœlo ; et cum maxima gloria futura sit eorum « qui magis fuerint conformes imaginis Filii Dei, » gaudet quod eos videat

similes Jesu. Atqui ipse Jesus dixit : «Discite a me quia *mitis* sum et *humilis* corde» (Matth., xi, 29): ingens igitur erit consolatio Mariæ invenire sacerdotes *mites* et *humiles corde*. Quapropter conabor singulari cura me exercere in virtute mansuetudinis et humilitatis. Mitis ero *interius*, mitis *exterius*, mitis vultu, mitis sermone. Humilis ero, de me non loquendo, me non defendendo aut excusando, et gaudenter sustinere conabor quamcumque humiliationem.

III^um^ Punctum. — **Mariam imploremus.**

Eam imploremus pro *nobis ;* cum multæ sint tribulationes, sollicitudines atque necessitates omni bono sacerdoti.

Eam imploremus pro *ovibus* nobis commissis ; cum pro eis aliquando Deo respondere debeamus.

Eam imploremus pro *patria*, ad cujus felicem statum sacerdos indifferens esse non potest.

Atqui ad utiliter implorandam Mariam non est necesse ut sacerdos novas adhibeat preces ; sufficit ut eas preces, quas assuevit recitare omni tempore,

in posterum satagat recitare melius, attentius et majore cum affectu.

Utinam hæc recollectio sit *practica* quædam *reformatio* atque *restauratio* nostræ pietatis erga Mariam! Quam magnus esset fructus hujus recollectionis, si per eam inducerentur multi sacerdotes ad faciendum melius id quod jam facere solebant in testimonium sui amoris erga benedictam Matrem JESU!

## ALTERA MEDITATIO.

### De morte B. M. V.

1. Præl. Nobis repræsentemus Mariam, præsentibus apostolis, spiritum suum suavissime efflantem.

2. Præl. Petamus gratiam nobis comparandi mortem, morti Mariæ simillimam.

### Ium PUNCTUM.

Mors Mariæ fuit *pretiosissima*, quia ipsi fuit mors finis exsilii, finis ærumnarum, finis dolorum. Quanto cum gaudio dicere poterat tunc: Transierunt omnia!

In hora mortis plena consolatione erit hæc cogitatio: multæ fuerunt meæ tribulationes et ecce modo ex iis me eripiet Dominus! An mihi bene persuasum est me, instante morte, majorem consolationem percepturum ex rebus

adversis quam ex rebus prosperis, majorem ex laboribus quam ex deliciis? Si hanc veritatem semper præ oculis haberem, cum Apostolo superabundarem gaudio in omni tribulatione mea.

II^um^ PUNCTUM.

Mors Mariæ fuit *pretiosissima*, quia *causa* mortis fuit sanctissima. Causa mortis fuit amor Dei et desiderium videndi JESUM. Hinc factum est ut moreretur sine violentia, sine dolore, sed cum ineffabili lætitia et jucunditate.

Utinam causa mortis meæ sit amor Dei et desiderium videndi JESUM! Tunc mortem non timebo, quinimmo lætus ex hac vita discedam.

III^um^ PUNCTUM.

Mors Mariæ fuit *pretiosissima* propter varias circumstantias. Singulari consolatione animus Mariæ implebatur:

1° ex testimonio bonæ conscientiæ;

2° ex magnitudine meritorum;

3° ex certitudine salutis;

4° ex præsentia JESU, animam Matris suæ piissime suscipientis; ex præsentia angelorum, Reginam suam laudibus prosequentium; ex præsentia apostolorum, cum filiali affectu Matri amabilissimæ valedicentium.

Fac, o Maria, ut mors mea, sicuti tua, pretiosa sit in conspectu Domini!

## EXAMEN.

### Circa pietatem erga Mariam.

I. Generatim, quænam est mea pietas erga optimam Matrem?

An patior hac in re me superari ab aliis sacerdotibus, immo et a simplicibus fidelibus? An nunc non minor est mea pietas quam antea? Unde mihi hæc imminutio pietatis?

II. An in me sunt hæc tria quæ fuerunt in pietate maximorum Sanctorum, scilicet:

1° *Ingens amor*, qui facit ut sæpe *cogitem* de mea Matre, ut sæpe *loquar* de ipsa, ut vehementer *desiderem* eam ab omnibus cognosci et diligi magis in dies.

2° *Inconcussa fiducia*, ita ut confidenter recurram ad illam in omni necessitate; est enim salus infirmorum, refugium peccatorum, consolatrix afflictorum, auxilium christianorum, regina virginum.

3° *Ardens zelus* ad glorificandam Matrem amantissimam.

*a*) An frequenter concionem habeo de ea? et quo animo de ea soleo concionari? An non facile detrecto occasionem concionandi de ea?

*b*) An frequenter de ea sermonem instituo in confessionali?

*c*) An de ea loquor in quotidianis colloquiis?

*d*) An laboro ut floreant *sodalitia, confraternitates, praxes solemnes?* An non negligentior sum in adhibendis his mediis aptissimis ad fovendam pietatem Marianam?

*e*) An sollicitus sum in promovenda pietate erga Mariam in iis quorum directionem spiritualem mihi commisit divina Providentia?

III. In specie. Quomodo recitare soleo eas preces quas pius sacerdos recitat *quotidie* in honorem B. M. V., ut sunt: Corona, Angelus?

An soleo sabbatum speciali modo Mariæ consecrare?

Quomodo celebro festa B. M. V.? An sufficienter ad ea celebranda præparo parochianos meos?

An identidem lego aliquem librum qui tractet de B. M. V.?

O Maria, veniam mihi concede misericorditer de multis meis negligentiis in cultu tuo admissis. Doleo vehementer quod non generosius tibi famulatus fui, post tot a te accepta beneficia. Doleo etiam quod non ardentius promovi cultum tuum. Doleo tandem quod non majores adhibui conatus ad superandos alios fideles amore erga te, devotione et pietate.

# RECOLLECTIO XII.

## PRIMA MEDITATIO.

### De imagine Cordis JESU.

1. Præl. Nobis repræsentemus JESUM, pandentem Cor suum Beatæ famulæ suæ Margaritæ.

2. Præl. Petamus gratiam intuendi imaginem Cordis JESU oculo perito.

Imaginem Cordis JESU possumus considerare :

1° Ut *memoriale devotionis* sacerdotalis erga Cor JESU ;

2° Ut *memoriale* sacerdotalis *perfectionis.*

### Iᵘᵐ PUNCTUM. — Imago Cordis Jesu memoriale nostræ devotionis.

Non potest sacerdos aspicere imaginem Cordis JESU quin recordetur rationum multiplicium, quibus impellatur ad amplectendam toto animo hanc egregiam devotionem.

1° *Prima ratio* est expressissima JESU *voluntas.*

Locutus est JESUS per semetipsum ad admirabilem illam virginem quæ

abhinc aliquot annis ad honores Beatorum evecta fuit.

Locutus est per Ecclesiam, sponsam suam, quæ sua auctoritate apostolica festum Cordis Jesu instituit et devotionem Cordis Jesu omnibus et præsertim sacerdotibus non cessavit vehementer commendare.

Loquitur hodie per suam Providentiam, qua videmus devotionem Cordis Jesu, quamvis obstarent innumera impedimenta, mirifice per totum mundum propagatam.

2° *Secunda ratio* est, quia hæc devotio est aptissimum *medium perveniendi ad perfectionem.*

Quid hucusque obstitit perfectioni nostræ? Obstiterunt forsan passiones inveteratæ, quæ quandoque tantæ sunt ut nunquam videantur esse domandæ. Obstitit tepiditas nostra et nescio quod animi frigus erga Deum. Obstiterunt infidelitates nostræ et neglectus gratiarum. Obstitit maxime defectus fiduciæ in Deum et nimia animi dejectio. At istis omnibus occurrere potest sacerdos vera et sincera erga Cor Jesu devotione.

Testes sunt ipsæ JESU ad Beatam Margaritam promissiones solemnissimæ. Testes sunt tot admirandæ conversiones sacerdotum qui per hanc devotionem, post diuturnam tepiditatem, veluti subito ad summam perfectionem evolaverunt.

3° *Tertia ratio* est, quia hæc devotio est efficacissimum *medium reddendi zelum nostrum vere fructuosum.*

Hoc expressis verbis pollicitus est JESUS. Hoc docuit propria nostra experientia. Nullus est qui, si aliquam habeat animarum experientiam, confiteri non debeat se hac devotione plus profecisse in convertendis hominibus quam omni alia arte. Innumeri sunt peccatores qui omni alii tentamini restiterunt, huic autem Cordi victas manus dederunt. Utinam id semper præ oculis haberemus! Majores absque dubio fructus colligeremus, majoresque in nostris laboribus acciperemus consolationes.

4° *Quarta ratio* est, quia Cor JESU est eximium *refugium* sacerdotis.

Omnes indigemus amico; ubi autem

est inter homines amicus qui respondere valeat vel velit omnibus cordis nostri desideriis? Nullus sane. Sed Cor Jesu est Cor amici fidelissimi, tenerrimi, sapientissimi, potentissimi, amantissimi... O si nullum haberem amicum in hoc mundo, si omnes homines me desererent, me abjicerent, tu, o Cor Jesu, mihi maneres, quia tu amicus fidelis, et tu mihi sufficis.

Videte S. Franciscum Salesium... Quantus vir!... Quales exantlavit labores!... Quot convertit animas!... Quam felix in medio ærumnarum et difficultatum omnis generis!... Unde ipsi tantus zelus, tanta perfectio, tanta felicitas? Cognoverat Cor Jesu; intraverat in Cor Jesu; habitationem fixerat in Corde Jesu, et tam arcte conjunctus fuit huic divino Cordi, ut particeps factus sit duarum virtutum quibus splenduit Cor Jesu, *mansuetudinis* et *humilitatis*.

[Ium Punctum. — **Imago Cordis, memoriale nostræ perfectionis.**

Etenim hanc imaginem attento oculo aspiciens sacerdos intelligit qualis esse debeat in suo sacerdotio.

Quid videt ?

1° Videt *Cor* carneum, non separatum, non mortuum, sed *vivum*, *unitum hypostatice Verbo divino*;... Cor omnium *pulcherrimum*, *nobilissimum*;... Cor *Fratris*, *Regis*, *Amici*.

Videndo hoc Cor tale ac tantum, dicere sibi debet sacerdos : Jesus mihi dedit Cor suum, me ardentissime amando ; debeo et ego Jesu dare cor meum, eum ardentissime amando. Sed non debeo ipsi dare cor *mortuum*, cor *vile* et *abjectum*, cor *separatum* a gratia ; sed cor nobile nobilitate affectuum, cor sincerum, cor generosum. « Præbe, fili mi, cor tuum mihi. » (Prov., XXIII, 26.)

2° Videt *radios* qui erumpunt e corde Jesu. Intelligat sacerdos se debere haurire *scientiam* suam, scientiam Sanctorum ex Corde Jesu, hanc scientiam a Corde Jesu efflagitando prece humili et ferventi.

3° Videt *flammas*, quibus quasi immersum conspicit Cor Jesu. Intelligat sacerdos se debere haurire *zelum* apostolicum e Corde Jesu. Zelus autem est *amor ;* nascitur ex amore, nutritur

amore, desinit in amorem. « Qui non amat, dicit S. Augustinus, non zelat. »

4° Videt *spinas*, quibus cruentatur Cor amabile. Intelligat sacerdos has spinas esse peccata sua, suas negligentias, multiplices suos actus irreverentiæ erga sanctissimum altaris sacramentum. Satagat proinde offerre JESU pro spinis *flores* virtutum sacerdotalium.

5° Videt *crucem* impositam Cordi JESU. Intelligat sacerdos JESUM crucem accepisse et portasse cum amore, et eum exspectare a suo sacerdote ut idem faciat. « Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. » (Joan., XIII, 15.)

6° Videt *vulnus*. Intelligat sacerdos Cor JESU fuisse vere vulneratum lancea in cruce, et inde exivisse aquam et sanguinem, quod certe ostendit excessum amoris. Ita proinde se det JESU sacerdos, ut paratus sit pro eo effundere etiam ultimam guttam sanguinis.

## ALTERA MEDITATIO.

### De iis quæ displicent Cordi JESU.

1. Præl. Repræsentemus nobis JESUM ostendentem Cor suum, et eum audiamus dicentem : « Tu fili, qui es sacerdos meus, noli contristare hoc Cor quod tantopere te dilexit. »

2. Præl. Petamus gratiam amovendi a nobis quidquid in sacerdote Cordi JESU posset displicere.

Tria solent displicere Cordi JESU in sacerdote, scilicet *spiritus mundanus*,
*tepiditas*,
*peccatum*.

#### Ium PUNCTUM.

Displicet Cordi JESU in sacerdote *spiritus mundanus*.

Etenim JESUS venit in hunc mundum ut spiritui mundi contradiceret per omnia. Et re quidem vera quod æstimat mundus, JESUS contempsit ; quod mundus horret, JESUS amavit ; quod mundus appetit, JESUS fugit.

Dicit mundus : « Si vis esse beatus, quære divitias. » — Dicit JESUS : « Beati pauperes spiritu. » — Dicit mundus : « Si vis esse beatus, sume vindictam de omni injuria. » — Dicit JESUS : « Beati mites. » — Dicit mundus : « Si vis esse beatus,

afflue delectamentis et deliciis. » — Dicit JESUS : « Beati qui lugent. » — Dicit mundus : « Si vis esse beatus, indulge passionibus tuis. » — Dicit JESUS : « Beati mundo corde. » — Dicit mundus : « Si vis esse beatus, fuge omnem contrarietatem. » — Dicit JESUS : « Beati qui persecutionem patiuntur. » — Dicit mundus : « Si vis esse beatus, ascende superius, ut oculis hominum videaris magnus. » — Dicit JESUS : « Quære ultimum locum, quia qui se humiliat exaltabitur. »

Spiritus mundi ducit homines ad interitum, spiritus autem JESU ducit homines ad veram vitam ; summopere igitur displiceret JESU videre sacerdotem suum imbutum, non spiritu suo, sed mundi.

An modus meus judicandi, loquendi, agendi, o mi JESU, non contradicere videtur spiritui tuo? O Domine, obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus, ut horream quod amat mundus, ut amem quod mundus horret.

### IIum PUNCTUM.

Displicet Cordi JESU in sacerdote *tepiditas.*

Etenim amat JESUS suum sacerdotem, et propterea displicet ipsi quidquid scit sacerdoti nocere. Atqui valde nocet sacerdoti sua tepiditas. Attente legat quod S. Spiritus dixit de hac lepra animarum :

1° « In pigritiis humiliabitur contignatio. » (Eccle., X, 18.) Scilicet tepiditatis effectus est ruina optimarum animi dispositionum.

2° « Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter. » (Jerem., XLVIII, 10.) Scilicet tepiditatis effectus est quædam specialis maledictio, quæ ipsa bona quodammodo in malum vertit.

3° « Quia tepidus es... incipiam te evomere ex ore meo. » (Apoc., III, 16.) Scilicet tepiditatis effectus est veluti quoddam initium reprobationis. Anima tua, o sacerdos,qui tepidus es, torquet Cor suavissimum JESU, ut cibus nauseosus torquere solet stomachum, eumque cogit te rejicere.

Cave igitur a tanto malo.

### III^um^ PUNCTUM.

Displicet Cordi JESU in sacerdote *peccatum.*

Dum JESUS e Tabernaculo conjicit oculos in cœlum ibique videt multos thronos desertos in æternum ab angelis prævaricatoribus ; — dum deinde oculos demittit in infernum ibique videt innumeras animas in flammis sepultas in æternum ; — dum prospicit hunc mundum conversum peccato in vastum cœmeterium, in tristissimam vallem lacrymarum ; — dum oculis cernit montem Calvariæ ubi horrenda supplicia sustinuit ;

non potest non dolere quod tantum malum, propter quod multi perierunt, etiam nunc committat sacerdos. Ut igitur cessemus Cor JESU contristare, peccatum oderimus, peccatum timeamus, peccatum vitemus, et proinde *oremus* et *vigilemus* ut non intremus in tentationem.

## EXAMEN.

### Circa pietatem erga Cor JESU.

1° An sufficienter devotus sum erga Cor JESU ? Generalis praxis hujus devotionis est *cultus amoris*, qui nos impellit ad gratias agendas pro ingenti JESU amore erga nos et ad reparandas injurias, quibus afficitur JESUS præsertim in SS. Sacramento altaris. An igitur assuevi frequenter gratias agere de innumeris beneficiis, quibus me cumulavit, et reparare omni obsequio amoris injurias quibus a multis afficitur?

2° An sufficienter studui iis quæ traduntur a theologis de cultu Cordis JESU, ut *veras* habeam rerum notiones ?

3° An utor hac devotione ad *propriam* sanctificationem,

*a*) *singulis diebus*, aliquid præstando in honorem Cordis JESU ?

*b*) *singulis hebdomadis*, feriam sextam transigendo ferventius, diligentius,ex amore Cordis JESU ?

*c*) *singulis mensibus*, consecrando speciali modo primam feriam sextam Cordi JESU?

*d*) *singulis annis*, me præparando ad festum Cordis JESU et hoc festum celebrando devotissime?

*e*) *omni tempore*, frequenter invocando Cor JESU, ejus imaginem pie aspiciendo, osculando, cor JESU invocando in omni tentatione?

4° An utor hac devotione ad sanctificationem *aliorum*,

*a*) efficiendo ut in mea parœcia vigeat hæc devotio?

*b*) efficiendo ut quam plurimi communionem faciant prima feria sexta mensis?

*c*) frequenter agendo de Corde JESU, in concione, in catecheseos explicatione, in confessionali, in quotidianis colloquiis?

*d*) recurrendo fiducialiter ad Cor JESU pro conversione maximorum peccatorum?

5° An merito numerandus sum inter *apostolos* Cordis JESU, ita ut sperare possim meum nomen in Corde JESU scriptum esse tamquam in libro vitæ?

# RECOLLECTIO XIII.

## PRIMA MEDITATIO.

De conversione S. Petri.

1. Præl. Videamus Petrum amare flentem.

2. Præl. Petamus a Christo lacrymas iis similes quibus Petrus lapsum suum flevit.

### Ium Punctum. — Lapsus S. Petri.

1° *Quis lapsus est ?* Petrus ; ille scilicet qui vocatus fuerat ad apostolatum Christi ; ... qui tribus annis audierat Filium Dei docentem, instruentem ;... qui viderat oculis suis ejus divina opera et miracula ; ... qui ipsemet, nomine Jesu, dæmonia ejecerat et virtutes multas fecerat ; ... cui etiam cœli claves fuerant a Christo promissæ.

Hinc discamus nobismetipsis non fidere. Licet enim sacerdotio simus insigniti, licet magna pro gloria Dei egisse nobis videamur, licet magnos forsan experti simus Dei favores, cadere possumus.

Qui stat, videat ne cadat !

2° *Quomodo lapsus est Petrus?* Ad vocem unius ancillæ lapsus est, et negavit se nosse eum quem antea Filium Dei fuerat confessus, idque negavit cum juramento et exsecratione.

Et quomodo ego cecidi? nonne forte ex vano timore difficultatum quæ non exsistebant? ex mero respectu humano?

3° *Quare lapsus est Petrus? a*) Quia incepit tepescere, et orationem neglexit; dormivit cum orare debuisset.

*b*) Quia, sibi fidens, absque ulla necessitate se projecit in periculum.

*c*) Quia humanas consolationes quærebat inter hostes Christi: « Stans calefaciebat se. »

Agnosco, o mi Deus, me etiam sæpe lapsum esse quia incepi tepescere in exercitiis meis piis; quia non fugi pericula, immo ea quæsivi imprudens; quia concupivi et mihi comparavi consolationes vanas et perniciosas. Cecidi ut Petrus, sed Petrus una die tantum cecidit; et ego, o mi Deus? Utinam, qui secutus sum Petrum labentem, sequar etiam de peccati statu resurgentem!

II^um^ PUNCTUM. — **Conversio S. Petri.**

Perpendamus ordinem conversionis Petri, quem mirifice indicat S. Lucas (XXII, 61, 62) : « Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini. Et egressus foras, Petrus flevit amare. »

1° *Respicitur a Domino.* O si Dominus non respexisset Petrum, quid de Petro factum fuisset !

Quoties nos respexit Dominus et quanto cum amore !

2° *Recordatur verbi Domini.* Utinam illud nunquam oblitus fuisset, tunc sane non cecidisset. Sed feliciter tandem aliquando illius verbi recordatus est, et hæc recordatio ei fuit initium conversionis.

Hinc commendatur sacerdotibus seria et frequens sermonum Dei recordatio ope quotidianæ meditationis.

3° *Egreditur foras.* Statim ut intellexit periculum, periculum fugit. Et hæc periculi fuga omnino necessaria est ad veram conversionem. « Si etiam JESUS mihi dicat, ait S. Augustinus, dimit-

tuntur tibi peccata, nisi ego peccare desiero, quid proderit? »

Sæpe impedimentum est conversionis, infirma et hæsitans voluntas vitandi occasionem peccandi. Violentia opus est! Nonne dixit Dominus: « Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud? » (Matth., XI, 12.)

4° *Flevit amare.* Flevit ex amore: flevit quia tam bonum magistrum, benefactorem, amicum Deum suum offenderat. Eadem caritate Christi impellente, tota vita ita flevit sua peccata ut, teste traditione, lacrymæ genas ejus excavaverint et oculos quasi sanguinantes fecerint.

Quam felices nos si lacrymæ nostræ similes essent eis quas fundebat Petrus! Sed notemus Petrum *tunc* incepisse flere *quando* egressus erat foras. Egrediatur sacerdos foras, deserendo occasionem peccati, et facile lacrymabitur, et ex toto corde lacrymabitur, et hæ lacrymæ non modo commovebunt Deum et angelos, sed etiam homines.

III^um^ PUNCTUM. — **Prudentia S. Petri.**

Perpendamus quam prudens fuerit S. Petrus in sua conversione.

1° Non dubitavit de misericordia Domini, sed statim, post lapsum, se adjunxit aliis discipulis.

2° Ut veniam impetraret, ad B. Virginis Mariæ intercessionem et consilia confugisse putatur. Quid melius facere potuisset ?

3° Ex lapsu humilior factus est et cautior, et sic ingentem honorem primatus absque periculo accipere potuit. Sic etiam compertum fuit illud : « Diligentibus Deum *omnia* cooperantur in bonum. »

4° Amando ferventius, fortius, priorem suam ingratitudinem compensare studuit, et usque ad crucem proxime Christum secutus est.

5° Post actam pœnitentiam, eadem fiducia agebat cum Deo ac si nunquam peccasset, et simul quotidie peccata deflebat quasi remissa non essent.

O Domine, da mihi gratiam imitandi prudentiam S. Petri, me plene ad te

convertendo, cum ingenti fiducia et cum voluntate tibi dandi compensationem dignam pro præteritis meis stultitiis. « Fiat misericordia tua ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo. Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam. » (Ps., CXVIII, 76, 77.)

## ALTERA MEDITATIO.

### De conversione S. Pauli.

1. Præl. In memoriam revocemus ea quæ narrat S. Lucas (Act. Ap., IX) de admiranda Pauli conversione.

2. Præl. Petamus a Deo gratiam nos exhibendi tales qualem se exhibuit S. Paulus post suam conversionem.

I^um^ PUNCTUM. — **Conversio S. Pauli.**

Consideremus *personam*, *verba* et *opera*.

1° *Persona.*

Quis erat Paulus? *Blasphemus, persecutor, contumeliosus* (I Tim., I, 13); spirans minarum et cædis in discipulos Domini (Act., IX, 1); lupus rapax; devastabat enim Ecclesiam, per domos intrans et trahens viros et mulieres tradebat in custodiam. (Ibid., VIII, 3.)

Quid factus est? *Vas electionis* ut portaret nomen Domini coram gentibus et regibus et filiis Israel... maximus *apostolus*... *doctor gentium*... vir admirabilis *sanctitatis*... inter maximos *martyres splendidissimus.*

Quanta hinc nobis fiducia!

2° *Verba.*

*a*) *Christi :* Saule, Saule, quid me persequeris?... Ego sum JESUS quem tu persequeris ; durum est tibi contra stimulum calcitrare. (Act., IX, 4,-5.)

Profecto hæc sunt verba amantis, et innuunt mihi eloquentissime, JESUM existimare sibi fieri quæcumque mala faciam fratribus meis, et mihi durum fore non sequi stimulos gratiæ me admonentis, urgentis, suaviter invitantis ad vitam meliorem.

*b*) *Pauli :* « Domine,quid me vis facere? » (Act., IX, 6.) En conversio promptissima, plenissima, generosissima.

Hodie et nos dicamus Christo ex toto corde : Domine, quid me vis facere? Et si vocem Domini audierimus, nolimus obdurare corda nostra.

3° *Opera.*

*a*) Mittit Dominus lucem de cœlo quæ subito illuminat mentem Pauli ; et prosternit Paulum *hostem*, ut eum erigat *apostolum.*

O Domine, da et mihi lumen ut videam : prosterne me congrua humiliatione, et fac

ut eam sic accipiam ut propter eam valeam exaltari ; dixisti enim, o mi JESU, « qui se humiliat exaltabitur. »

*b*) Ostendit Dominus Paulo quanta oporteat eum pro nomine suo pati. Sine dubio hoc Domini testimonium attulit Paulo consolationem quæ exsuperat omnem sensum. Hinc postea dicebat : Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. (II Cor., VII, 4.)

*c*) Obedit Paulus cum magna diligentia et simplicitate.

Sic nos faciamus et felicissimi erimus, « vir enim obediens loquetur victoriam. » (Prov., XXI, 28.)

II^um^ PUNCTUM. — **Fructus conversionis S. Pauli.**

1° Paulus *amavit* JESUM ex toto corde ita, ut cogitationes, desideria, verba, opera, scripta hunc amorem spirent.

2° Ex amore et cum amore *prædicavit* JESUM *ubique* et *omni modo*, etiam in vinculis constitutus.

3° Ex amore et cum amore *laboravit* pro JESU, die ac nocte, ut ipse in epistolis suis testatur.

4° Ex amore et cum amore innumera *passus* est *mala* pro JESU, et pro JESU *mortuus est.*

5° Per hæc omnia fruitus est *veris beatitudinibus*, quas eum JESUS docuerat. Fuit Paulus pauper... mitis... lugens... esuriens

justitiam... misericors... pacificus... mundus corde... persecutionem passus... et sic in mediis laboribus et ærumnis fuit felicissimus.

Utinam tales sint fructus conversionis nostræ.

## EXAMEN.

### Circa pietatem erga Ecclesiam.

Sacerdos inter alios omnes fideles eminere debet sua filiali erga Ecclesiam pietate; atqui genuini filii est matrem suam *venerari*, matrem *amare*, matrem *consolari*, matri *obedire*, matrem *defendere*.

1° An *veneror* Ecclesiam, venerando omnia quæ pertinent ad eam, scilicet ejus doctrinam, præcepta, cæremonias, ritus, præscriptiones? An de his reverenter loqui soleo?

An veneror Ecclesiam in persona eorum per quos Ecclesia suam exercet auctoritatem, ut sunt Summus Pontifex, Episcopus, alii ecclesiastici superiores? An minui eorum auctoritatem, eorum dicta vel facta carpendo et in crisim vocando?

2° An *amo* Ecclesiam amore filiali? An sincere desidero bonum Ecclesiæ, ejus felicem statum et per totum mundum propagationem? An id procurare conor omni qua possum ope? An meo loquendi modo et agendi non visus sum, esse indifferens erga res prosperas et adversas Ecclesiæ?

An frequenter et ferventer oro pro necessitatibus Ecclesiæ?

3° An *consolor* Ecclesiam, me exhibendo sacerdotem fidelem, pium, sanctum, castum, modestum, beneficum erga pauperes, sollicitum circa ægrotos et parvulos, patientem in laboribus, constantem in rebus adversis, in rebus prosperis humilem?

An consolor Ecclesiam, pascendo diligenter oves mihi ab Ecclesia commissas, quod infirmum est consolidando, quod ægrotum est sanando, quod confractum est alligando, quod abjectum est reducendo, quod periit quærendo?

An consolor Ecclesiam, efficiendo ut opera pia in parœcia floreant; ut festa pie et devote celebrentur; ut domus Dei splendeat munditie, nitore et ordine; ut frequententur Sacramenta et ad ea suscipienda omnes rite disponantur?

4° An *obedio* Ecclesiæ, obediendo Summo Pontifici, Episcopo et omni qui in Ecclesia pollet auctoritate, prompte, sincere, lætanter, in spiritu fidei?

An ex modo loquendi et agendi probo me ex totis et intimis visceribus adhærere Sedi apostolicæ?

5° An *defendo* Ecclesiam, explicando frequenter et animose coram populo Ecclesiæ notas et prærogativas, sive inter concionandum, sive inter explicandum catechismum?

# RECOLLECTIO XIV.

## MEDITATIO.

**Tu es sacerdos in æternum.**

PRO præsenti recollectione unica proponetur meditatio, cum materia, quæ in meditatione tractatur, optimam contineat *mortis præparationem.*

1. Præl. Repræsentemus nobis angelum custodem dicentem unicuique nostrum : « Tu es sacerdos. »

2. Præl. Petamus gratiam semper et ubique nos exhibendi dignos sublimi nostra vocatione.

Quid tibi est sacerdotium *in vita ?*
Quid tibi erit sacerdotium *in morte?*
Quid tibi erit sacerdotium *in judicio?*
Quid tibi erit sacerdotium *post judicium ?*

### Iᵘᵐ Punctum. — Quid tibi est sacerdotium in vita ?

In vita tua, o sacerdos, sacerdotium tuum est *dignitas* superans omnem aliam dignitatem, et conferens tibi *potestatem* infinitam.

In ordinatione tua tibi dictum est :

Accipe potestatem conficiendi *corpus et sanguinem D. N. J. C.* Quid amplius dici potest? Potestas hæc omnem aliam potestatem longe superat.

Præterea sacerdos potestatem habet dimittendi peccata, claudendi igitur infernum et conferendi jus ad cœlum. Potestatem habet docendi fideles in nomine ipsius Christi. Pro Christo legatione fungitur, et ipsius personam agit in functionibus suis sanctissimis.

Hinc mirum non est, sanctos tam magnificis verbis sacerdotium extulisse.

«Omnium apex est sacerdotium,» dixit sanctus Ignatius martyr. «Miraculum est stupendum, magna, immensa, infinita sacerdotii dignitas, » dixit sanctus Ephrem. « O sacerdos Dei, exclamat Cassianus, si altitudinem cœli contempleris, altior es ; si Dominorum sublimitatem, sublimior es ; solo Deo et Creatore tuo inferior. » « Qui sacerdotem dixit, ait sanctus Dionysius, prorsus divinum insinuavit virum ; angelica, immo et divina est dignitas. »

Ergo, sacerdos, hujus dignitatis memorem te esse oportet per totam vitam

tuam. Proinde cave ne aliquid sit in mente, aliquid in affectu, aliquid in sermone, aliquid in gestu quod tantæ dignitati non respondeat.

Superas omnes *dignitate ;* convenit ut omnes superes *virtute.* Pati non debes, o sacerdos, inter subditos tuos esse aliquem te castiorem, te patientiorem, præditum majore caritate quam tua est, majore temperantia, majore prudentia, majore animi fortitudine. Tene primum locum in *virtute,* ut tenes primum in *dignitate.*

IIum Punctum. — **Quid tibi erit sacerdotium in morte ?**

1° In morte tua sacerdotium non tibi erit effugium conditionis humanæ.

Ut alii mortales, *morieris* et *tu ;*

ut alii mortales mori potes et tu *subito ;*

ut alii mortales morieris et tu tantum *semel ;*

ut pro aliis mortalibus, a morte tua pendebit *æternitas tua ;*

ut alii mortales, morte *separaberis* ab omnibus quæ possides ;

ut alii mortales, per mortem trades *corpus* tuum *horribili mutationi*. Pro te enim sacerdote, sicut pro aliis, scriptum est : « Putredini dixi : pater meus es ; mater mea, et soror mea, vermibus. » (Job, XVII, 14.)

Ergo ne impediat te sacerdotium tuum quin *timeas* mortem ; ne impediat quin te continue ad mortem *præpares*.

2° Quod si te præparaveris ad mortem debito modo, sacerdotium tuum tibi erit fons maximarum *consolationum*. Si mortis tuæ per vitam oblitus fueris, sacerdotium tuum tibi fons erit maximarum *anxietatum*.

Si vixeris ut *bonus* sacerdos, ingens tibi erit consolatio hæc cogitatio : *sacerdos* morior..... Ut sacerdotium susciperem, abjeci a me omnia desideria sæcularia; me obstrinxi perpetuo castitatis voto, subjeci voluntatem meam legitimæ auctoritati ; vires et talenta impendi in gloriam Dei et in salutem animarum.

Ingens erit consolatio recordatio laborum quos exantlasti, animarum quas salvasti, pauperum quos consolatus es,

parvulorum quos e faucibus leonum eripuisti.

Et si in tuo sacerdotio aliquid adversitatis passus fueris, id cum ineffabili suavitate meminisse juvabit.

Cum Paulo dices confidenter : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die. » (II Tim., IV, 7, 8.)

Contra, si *infidelis* fueris et *tepidus* sacerdos, amara tibi erit hæc cogitatio: Accepi sacerdotium ut me et alios sanctificarem, et ecce pejor factus sum et alios potius impedivi quominus sancti evaderent. Erubesces de mediocritate virtutum, de multitudine peccatorum tuorum.

Quam amara cogitatio hæc : inutiliter trivi tempus pretiosissimum ; sacerdos occupatus fui in nugis ; plus æquo impendi tempus recreationibus, confabulationibus, visitationibus ; mea culpa impar fui sanctæ meæ vocationi; sanctis meis functionibus; male adhibui talenta quæ cœlitus acceperam.

Et si abusus fuisses tuo sacerdotio ad

seducendas animas, quantam tibi pareret amaritudinem sacerdotium tuum!

III^um^ PUNCTUM. — **Quid tibi erit sacerdotium in judicio?**

Tibi dicetur, o sacerdos: Tu es sacerdos; ergo redde rationem sacerdotii tui.

Quia sacerdos eras, tradidi verbum meum ori tuo; an verbum meum prædicasti?

Quia sacerdos eras, sponsam meam Ecclesiam tibi credidi; an eam defendisti? An ejus jura tuitus es fideliter?

Quia sacerdos eras, sanguinem meum manibus tuis commisi: an ex eo nihil perdidisti?

Quia sacerdos eras, claves regni cœlorum arbitrio tuo consignavi; an eis non temerarie et inconsulte usus es?

Quia sacerdos eras, animas a me redemptas tuo regimini reliqui; an eas conservasti?

Tu eras *lux mundi;* utrum supra candelabrum, an sub modio?

Tu eras *sal terræ:* utrum sal bonum, an insulsum?

Tu *spectaculum* eras mundo, angelis et hominibus ; ast quod spectaculum ? utrum ædificationis, an scandali ?

Tu *organum* eras Spiritus sancti ad laudandum Deum tuum; quomodo hoc divinum officium persolvisti ? An attente, reverenter, tempore opportuno?

Tu *sacrificator* divinus eras: quo animo cœlestem victimam offerre solebas? An cum debita attentione, reverentia, devotione, puritate ? An observabas accurate rubricas sanctas? An probabas te antequam de illo pane ederes et de illo calice biberes ? An gratias deinde agebas cum fervore ?

Quæ tibi cura fuit circa ornatum ecclesiæ, munditiem vestium, decentiam ornamentorum, vasorum et reliquæ supellectilis ?

Quid melius curasti, domum tuam an domum Dei ?

Si ad hæc omnia respondere potueris te pro viribus implesse omnes sacerdotii tui obligationes, ingens erit tibi lætitia, dum audies hæc jucundissima verba ore judicis tui prolata : Euge, serve bone et fidelis... intra in gaudium

Domini tui... Me non pœnitet te evexisse ad dignitatem sacerdotalem, tibi ad sacerdotium stravisse viam, amovisse impedimenta quæ sacerdotio tuo opponebant tuæ passiones et capitalis inimicus tuus, dæmon. Ego sacerdotio meo æterno te consociare volo. Veni, benedicte Patris mei, posside paratum tibi regnum a constitutione mundi.

Si vero coactus fueris respondere te defuisse partibus sacerdotis boni et ferventis; te vineam tuam non custodisse; per incuriam tuam, vineam vepribus et spinis obductam fuisse; certe confusioni tibi erit sacerdotium tuum et causa majoris supplicii ; etenim scriptum est : « Potentes potenter tormenta patientur. »

IV^um^ PUNCTUM. — **Quid tibi erit sacerdotium post judicium?**

1° Si, quod Deus avertat, si, o sacerdos, sententia tua fuerit : « Discede a me, maledicte, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus ; » tuum sacerdotium tibi erit in opprobrium sempiternum. Per totam æternitatem damnati et dæmones illuden

crudeliter sacerdotio tuo. Per totam æternitatem exprobrabunt tibi dignitatem tuam sacerdotalem ; fatigabunt aures tuas hac voce: *Tu es sacerdos in æternum!* Inter tristes cogitationes quibus cruciaberis, hæc tristissima erit : et ego sacerdos damnatus sum.

2° Si sententia judicis te condemnaverit ad purgatorii flammas, inutile tibi erit sacerdotium tuum; immo causa erit majoris pœnæ, eo quod in sacerdotio tuo innumera habebas media vitandi purgatorium nec illud vitasti.

3° Si quod omnibus vehementer optandum, sententia judicis tibi aperuerit cœlum, sacerdotium tuum immarcessibili gloria coronabit caput tuum.

Per totam æternitatem, angeli et sancti characterem tuum sacerdotalem summa prosequentur reverentia. Fons gloriæ, fons felicitatis tibi erit tua dignitas sacerdotalis, o bone sacerdos!

Nunc labora, nunc certa, nunc sustine mala. Veniens veniet et non tardabit ille qui te elegerat et te posuerat ut ires et fructus ferres, et fructus tuus maneret. Ivisti, fructum tulisti, fructus

tuus manebit per totam æternitatem. Amen.

## EXAMEN.

### Circa modum agendi sacerdotaliter.

Si nunc mihi moriendum esset, o mi Deus, sacerdotium essetne mihi causa lætitiæ, an causa anxietatis? Causa esset lætitiæ, si soleo *sacerdotaliter* vivere.

Sacerdotaliter vivo:

1° Si mane *surgo sine mora... decenter... animo collecto.* An hoc feci?

2° Si quotidie facio *meditationem, reverenter... integre... ferventer.* An hoc feci?

3° Si *missam* celebro cum debita dispositione... devotione... gratiarum actione? An hoc feci?

4° Si *breviarium* recito *attente, reverenter... tempore statuto.* An hoc feci?

5° Si identidem instituo *lectionem spiritualem,* selectis libris, cum applicatione cum animo proficiendi. An hoc feci?

6° Si in *mensa* observo benedictionem temperantiam, actionem gratiarum. An hoc feci?

7° Si *recreo me* recta intentione, magna circumspectione, bono exemplo. An hoc feci?

8° Si cum *proximis* ago *prudenter, humaniter, fructuose.* An hoc feci?

9° Si *castitatem* observo cogitatione, visu tactu. An hoc feci ?

10° Si *obedientiam* præsto superioribus, sine murmuratione, sine crisi, sine mora, tamquam Deo. An hoc feci ?

11° Si *patiens* sum in rerum defectu, in mei contemptu, in malo exitu rerum. An hoc feci ?

12° Si *temporis parcus* sum, eo bene utendo et vivendo ordinate. An hoc feci ?

13° Si sancta sancte tracto. An hoc feci ?

Possum mori hoc mense ; possum mori subito ; an nihil est quod vellem ordinasse ante mortem ? An nihil in conscientia ? An nihil in rebus meis temporalibus ? An nihil in scriptis quod imprudenter relinqueretur post mortem meam ?

O mi Deus, vitabo omne peccatum ; fideliter faciam exercitia spiritualia quotidie ; adimplebo diligenter functiones sacerdotii mei, et certo certius moriar morte pretiosissima justorum. Amen.

# RECOLLECTIO XV.

## PRIMA MEDITATIO.

### Cor Mariæ beatissimum.

1. Præl. Repræsentemus nobis Mariam colloquentem cum S. Elisabeth et eam audiamus dicentem : « Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.»

2. Præl. Petamus gratiam hauriendi nostram felicitatem e fontibus e quibus Maria degens in terris suam hausit felicitatem.

Nuncupare solemus Matrem Dei *beatissimam*, non solum quia nunc in cœlis summa fruitur felicitate, sed etiam quia dum inter mortales vivebat, cor habebat vere beatum. Ex quibus fontibus hauserit Maria suam beatitudinem, facile intelligemus, considerando pulcherrimam imaginem, sub qua nobis ostenditur Maria in Apoc., XII, 1. « Et signum magnum apparuit in cœlo : Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim.»

Iᵘᵐ PUNCTUM. — **Mulier amicta sole.**

*Sol* divinitatem significat. *Amicta* dicitur Maria sole, quia ipsa divinitas

non est, cum sit mera creatura, sed tam perfecte induit Filium suum JESUM, ut quasi toto perfusa conspiciatur radiis divinitatis. Adeo unita fuit Filio suo, adeo Filii sui mores imbibit, adeo vixit spiritu Filii sui, ut jam non nisi in Filio vivere videretur. Si sanctus Paulus cum veritate dicere potuit : « Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus ; » quomodo non excellentiore modo de se idem dicere potuit Maria?

Qualis deinceps erit *amictus* noster ? Divinus sit oportet ; erit scilicet ipse Sol justitiæ, Christus Dominus. Quapropter sanctus Paulus exhortatur nos ad *induendum* Dominum JESUM CHRISTUM, minime carnis curam facientes in desideriis. (Rom., XIII, 14.) Ita igitur mores nostros componamus, ut JESU spiritus, gratia, virtus in nobis luceat per omnia.

Quotidie recipimus hunc solem, dum dignatur Dominus per sacram communionem commorari in pectoribus nostris. Sinamus hunc divinum Solem nos ita penetrare radiis suis, ut exterius ni radii erumpant, et nobis efficiant hunc

amictum splendidissimum, quo vestita apparuit Beatissima Virgo.

Sit Christus nobis omnia, ut omnia fuit Mariæ. Omnia in nobis spirent Christum, ut omnia in Maria Christum spirarunt! Spirent Christum desideria nostra, spirent Christum verba nostra, spirent Christum labores nostri; tota nostra compago, corpus et anima spirent Christum!

II^um^ PUNCTUM. — **Luna sub pedibus ejus.**

*Luna* significat terrena, transitoria, mutabilia. Hæc despexit sublimissima Virgo; hæc pedibus calcavit.

Despexit *divitias*... despexit *honores*... despexit *mundi gaudia.*

Ex altera parte, animo invicto toleravit mundi mala. Animo invicto toleravit *paupertatem*... *ærumnas*... *opprobria*... *exsilium.*

Nulla tempestas eam unquam percellere potuit. Semper firma visa est, semper serena, semper constans, semper plene voluntati Dei subjecta. Omnibus rebus, sive prosperis, sive adversis, se superiorem ostendit.

Non nisi pedibus terræ adhærebat ; adhærebat, quia per voluntatem Dei in terris per aliquot annos degere debuit ; sed toto cordis affectu in cœlo habitabat. « Nostra autem conversatio in cœlis est. » (Phil., III, 20.)

Ut Regina tua, o sacerdos, pedibus calca *terrena*. Terra altior sis ; terram mutabilem contemne. Proinde ne vigeat in te amor *divitiarum ;* ne vigeat amor *dignitatum ;* ne vigeat amor *gaudiorum* hujus mundi.

Viriliter sustine ærumnas, labores, dolores, opprobria. Omni eventu te superiorem proba.

Nullæ igitur nugæ te delectent, nulla te adversitas terreat, nulla te violentia frangat.

III^um^ PUNCTUM. — **In capite ejus corona stellarum duodecim.**

Hæc verba indicant *universalitatem* et *excellentiam* virtutum quibus splenduit Regina nostra dum in terris vivebat.

Quis æquare poterit verbis admirabilem ejus castitatem ? superat castitatem angelorum ; fidem ? superat fidem

patriarcharum et prophetarum; zelum? superat zelum apostolorum; fortitudinem? superat fortitudinem martyrum; devotionem? superat devotionem confessorum; fidelitatem? superat fidelitatem virginum.

Propter hanc excellentiam virtutum voluit Mariæ applicare Ecclesia ea quæ leguntur in libro Judith, XV, 10: « Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. »

Utinam in nostro capite etiam splendeat coronâ stellarum duodecim!

Forsan in capite nostro posuerunt homines coronam scientiæ... coronam dignitatum... coronam auctoritatis; hac non simus contenti; splendeat corona virtutum. Et si pro fragilitate humana, vix universalitas virtutum sperari possit, saltem splendeant in capite nostro fides, spes et caritas; splendeant obedientia, patientia et misericordia; splendeant castitas, prudentia, temperantia; splendeant zelus, fortitudo et pietas.

## ALTERA MEDITATIO.

### Cor Mariæ purissimum.

*Præludia eadem ac in præcedenti meditatione.*

Uno verbo describere possumus puritatem Cordis Mariæ, dicendo hoc Cor admirabile fuisse *speculum sine macula.* (Sap., VII, 26) Hoc splendidissimum speculum nullo unquam peccato vel minimo obnubilatum fuit. « Quidquid in Maria gestum est, ait S. Hieronymus, totum puritas. » Puritas in mente, puritas in corde, puritas in ore.

Hanc puritatem Reginæ suæ imitabitur pius sacerdos. Meminerit tres esse gradus puritatis.

Primus gradus est immunem servare animam ab omni *peccato mortali.*

Secundus gradus est immunem servare animam a *peccato veniali,* vel certe a *consuetudine* peccandi venialiter.

Tertius gradus est immunem servare animam ab *affectione inordinata.*

I. A peccato mortali.

Odium peccati basis est omnis sanctitatis. Quapropter sacerdos, ut hoc odium in se conservet et augeat in dies, frequenter in mentem revocare debebit :

*a*) peccatum mortale esse liberam transgressionem legis divinæ... contemptum... injuriam... ingratitudinem... inobedientiam... et rebellionem contra infinitam Dei

majestatem, infinite supra omnia æstimabilem, adeoque esse malum supra omne malum, esse malum quodammodo infinitum, quia est contra Deum infinitum ;

*b*) esse malum quo anima jure regni cœlestis spolietur... a consortio angelorum et sanctorum proscribatur... atque a facie Dei in æternum projiciatur ;

*c*) esse malum pœnas et tormenta infligens sempiterna, famem, sitim, tenebras, lacrymas, ignem, fœtorem, vermem, desperationem, lamentationem, et maledictionem perpetuam, nunquam tota æternitate terminandam.

Quis sacerdos, hoc nomine dignus, non ex toto corde oderit tale ac tantum malum?

Sed non sufficit peccatum mortale odisse, oportet etiam illud *timere :*

1° quia sacerdos, ut omnis alius homo, fragilis est ;

2° quia circumdatur innumeris insidiis, quas ipsi struunt dæmon, mundus, caro ;

3° quia JESUS jussit *amicos suos* timere illum qui potest mittere in gehennam ;

4° quia sæpe nos monuit JESUS orandum ess et vigilandum, ne intremus in tentationem.

Ergo cavebo, o Domine, et ex toto animo nunc dico cum sancto Augustino : « Malo mori quam fœdari ; » malo omnia amittere quam te Deum meum peccato mortali offendere.

II. A peccato veniali.

Moraliter certum est, eum qui statuit tantum peccata mortalia vitare, non omnia mortalia vitaturum esse ; sicut telum quod altius scopo non dirigitur, infra scopum cadet, pressum proprio pondere versus terram. Necesse igitur est ut pius sacerdos etiam abhorreat a peccato veniali. Abhorrebit autem ab hoc malo, si probe intelliget quantum sit malum *in se*, quanta homini afferat *damna* et *pericula*, quam severis plectatur *pœnis*.

1° Peccati venialis *malitia*.

Est offensa Dei ; est injuria supremæ Majestati illata a vilissima creatura, quæ innumeris continue beneficiis a Deo cumulatur. Atque adeo præter inobedientiam summam involvit ingratitudinem et neglectam Dei amicitiam.

2° *Damna* et *pericula* peccati venialis.

Hoc peccatum non privat quidem hominem gratia Dei, unde vivit anima ; sed singularibus Dei gratiis et auxiliis eam spoliat ; subtrahit illi singularem Dei providentiam; tollit ab anima spiritualem pulchritudinem, viresque ejus labefactat ; animam ita debilitat ut, sopito caritatis ardore, in progressu ad perfectionem retardetur ; ad peccatum inclinat multipliciter ; pravos habitus nutrit ; timorem Dei minuit. Unde « qui spernit modica, paulatim decidet ; et

qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est.» (Eccli., XIX, I ; Luc., XVI, 10.)

3° *Pœna* peccati venialis.

Etiam in hac vita sæpe punivit Deus pœnis temporalibus peccatum, quod levissimum videbatur. Moyses et Aaron, propter tale peccatum prohibiti fuerunt ingressu in terram promissam ; Bethsamitæ gravi plaga percussi fuerunt ob arcam liberius consideratam ; plura millia hominum ob vanitatem Davidis fuerunt peste sublati.

Quid in altera vita? Sufficit recordari S. Thomam cum bene multis docuisse, minimam pœnam purgatorii superare quidquid homo pati possit in hac vita.

O utinam frequentius ante oculos mihi ponerem tristissimos peccati venialis effectus ! Diligentius vitarem tam multa venialia, quæ adeo leviter soleo committere.

III. Ab affectione inordinata.

Sine ullo dubio a peccato non solum mortali sed etiam veniali abstinebit sacerdos, qui cordi habet se liberare omni affectione inordinata ad *opes*, ad vitæ *commoda*, ad *honores*, ad *voluptates*, ad *sanitatem*, ad *vitam*. *Inordinata* autem dicitur affectio quæ non est *limitata* ad tempus, locum, personas et modum quem *fides* aut *ratio* postulat.

Ad acquirendum hunc tertium gradum puritatis, moveat sacerdotem quod dicitur

Prov., XXV, 4 : « Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum. » Scilicet non raro impeditur sacerdos quominus evadat *vas electionis*, quia non firma voluntate se liberare conatur affectione inordinata, qua scit se laborare.

O Domine, da lumen, da robur ad mundandam animam meam ab omni *rubigine affectionum*.

## EXAMEN.

### Circa puritatem cordis.

1° An soleo instituere confessionem ad finem determinatum, nempe ad obtinendam quam maximam animæ *puritatem*, quo *dignius* accedere valeam ad altare?

2° An proinde in unaquaque confessione mihi propono aliquod peccatum, quod volo omnino vitare usque ad sequentem confessionem?

3° An quotidie ita examino conscientiam ut *deprehendam* defectus meos, eos *detester* et ab eis me *emendem* ?

4° An in unaquaque recollectione menstrua attente inquiro peccata et defectus, ut sciam utrum in dies pauciora sint peccata, minores defectus?

5° An sufficienter custodio sensus meos, oculos præsertim, linguam et aures? Sensus enim fenestræ sunt animæ et « ascendit

mors per fenestras nostras. » (Jer., IX, 21.)

6° An non lego imprudenter scripta quædam levia, vel quæ nata sunt inflammare imaginationem?

7° An caveo a quibusdam colloquiis, quibus affectiones *teneræ* primum, deinde *sensuales*, denique *carnales* excitantur?

8° An caveo præsertim a tribus rebus, propter quas plures perierunt, ab *otio*, a *potu*, a *muliere*?

9° An utor duobus subsidiis puritatis, *devotione* et *temperantia*?

10° An conor insurgentia carnis desideria elidere, et cogitationes carnales statim, non secus atque carbonem ignitum, excutere?

11° An ex desiderio puritatis, ita mentem meditationibus sanctis occupo, et corpus abstinentia atque asperitatibus domo, ut passio in vigilia mihi non dominetur, et in somno ab immundis illusionibus liber maneam?

# RECOLLECTIO XVI.

## PRIMA MEDITATIO.

De S. Raphaele Archangelo.

1. Præl. Nobis repræsentemus S. Raphaelem cum Tobia per viam incedentem,et cum ipso familiariter conversantem.

2. Præl. Petamus gratiam imitandi S. Raphaelem.

Contemplando S. Raphaelem, non possumus non mirari

ipsius *pulchritudinem,*
*felicitatem,*
*obedientiam,*
*ardentissimam caritatem,*
*pacem imperturbabilem.*

1° Ipsius *pulchritudinem.*

Qui dicit angelum, dicit spiritum purissimum, adeo ut assueverimus denominare castitatem in homine, *virtutem angelicam.* Sed si simplex angelus ita splendet sua puritate,quid dicendum de Archangelo, qui inter angelos eminet excellentia officii et naturæ ?

O sacerdos, talis esse debes et tu inter fideles. S. Ambrosius hominem

*castum* vocat *angelum ;* nonne sacerdos sua castitate *archangelus* esse deberet? Eminet enim inter omnes fideles dignitate, proinde emineat castitate. Certe sacerdos, hoc nomine dignus, pati non potest se in castitate ab aliquo superari. An castus sum ? An castæ sunt meæ cogitationes ? An casta desideria ? An casti aspectus ? An casti sermones ?

Volo, cum gratia Dei, custodire diligentissime thesaurum meum vere sacerdotalem, meam castitatem. Clausas tenebo fenestras animæ, ne per eas intret mors in animam. Fenestræ animæ sunt meæ cogitationes, sunt sensus mei; his invigilabo.

2° Ipsius *felicitatem.*

« Ego sum Raphael angelus, unus ex septem qui astamus ante Dominum. » (Tob., XII, 15.)

Quid est astare Domino? Est Deum propius videre, Deo frui, frui Dei felicitate. Et licet hic et nunc commoretur in terra, tamen jugiter videt Deum suum et Deo suo fruitur, ut expressis verbis dixit JESUS de angelis nostris custodibus. Quam felix ille angelus!

Utinam hac in re imiter S. Raphaelem! Astat sacerdos ante Dominum: *a)* per continuum *exercitium præsentiæ Dei;* ubicumque est, recordetur ibi præsentem esse Deum, se ab ipso videri; *b)* per *orationem* ferventem, sive vocaliter, sive mentaliter factam. Per orationem Deum nobis facimus præsentem, eum mente contemplamur, eo fruimur; *c)* per frequentem *visitationem Sanctissimi.* In tabernaculo vere præsens nobis est Deus noster, eum videmus sub speciebus sacramentalibus, eoque fruimur, familiariter cum eo conversando; *d)* per vividæ *fidei actum,* dum missam celebramus. Tunc certe astamus sanctissimæ Trinitati, quæ ibi præsens est, et per manus nostras operatur tremendum mysterium.

An ab ultima recollectione fidelius quam ante cogitare soleo Deum meum præsentem? An ferventius quam ante Deum oro, et ita quidem ut eo vere fruar, sicut sancti eo fruebantur dum orationi vacabant? An frequentius quam ante confugio ad tabernaculum, ut confidenter deponam in Corde Jesu gaudia

mea et meas tristitias, bona atque mala? An tempore missæ vivida fide Divinum Agnum præsentem aspicio, præsentem alloquor? An propter laborem non facilius sino me absorberi ita, ut transeant horæ quin semel cogitem de Deo? Non sic in posterum; sed frequentissime in mentem revocabo, *me in Deo vivere* et *moveri* et *esse*. — Orabo frequenter, ferventer. — Tabernaculum paradisus meus erit; ibi gustabo quam bonum sit atque suave, jugiter astare ante Dominum.

3° Ipsius *obedientiam*.

Adeo prompti sunt angeli ad exsequenda Dei jussa, ut pictores christiani et poetæ ipsos repræsentaverint ut juvenes alis ad volandum donatos. O quanta cum celeritate et quanto cum gaudio S. Raphael Dei voluntatem exsequitur! Utinam et ego, mea obedientia, me angelum esse comprobem! Volo me exhibere promptissimum ad faciendam voluntatem Dei per omnia, semper et ubique.

4° Ipsius *caritatem ardentissimam*.

Non otiosus stat S. Raphael ante

Dominum. Semper enim commendat Domino hominum necessitates et desideria. « Quando orabas cum lacrymis, dicit Tobiæ, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. » (Tob., XII, 12.)

O quam bona esset nostra oratio, et quam vere angelica, si oratio nostra esset actus caritatis! Assuescam igitur Deo offerre subditorum necessitates et desideria. In oratione fiducialiter agam coram Deo causam filiorum meorum ; est enim maxime potens oratio sacerdotis procedens ex ardenti caritate.

5° Ipsius *pacem imperturbabilem.*

Dum S. Raphael commorabatur in terris, videbat, sicut nos, hominum tumultum et agitationem. Videbat pugnas et dissensiones; videbat regnorum divisiones ; videbat et bella. Sed his minime movebatur. Compatiebatur afflictis ; suo judicio damnanda damnabat ; sed ne pro momento quidem amittebat pacem qua fruebatur : et nulla quantula-

cumque perturbatio potuit unquam minuere ejus felicitatem.

Vivimus nos in continuo tumultu et agitatione; novæ quotidie surgunt tempestates ; et licet quæramus pacem, pace tamen non fruimur. Sed si nobis non est pax externa, sit saltem interna. Pacem meam quæram apud Deum, ubi eam indubitanter inveniam, immo et lætitiam quam nulla vis humana aut diabolica a me tollere poterit. « In pace in idipsum dormiam et requiescam. » (Ps., IV, 9.)

## ALTERA MEDITATIO.

### De inferno.

Egregie se præparat ad mortem sacerdos qui sedulo vitat, ne unquam ponat pedem in unam ex viis quæ sacerdotem incautum ad infernum paulatim deducunt. Propterea proponitur meditatio de *inferno*.

1. Præl. Nobis repræsentemus sacerdotem sepultum in inferno.

2. Præl. Petamus gratiam infernum vitandi

Serio perpendamus quæ leguntur apud Lucam, XVI, 19, 22 : « Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide... Et sepultus est in inferno. »

I. Hæc dicit JESUS de aliquo viro sæculari, qui cum vixisset more mundanorum, periit in æternum. Sed cum veritate eadem dici possunt de quibusdam sacerdotibus.

Certe sacerdos est homo *dives*, dives, non divitiis humanis, sed supernaturalibus, et divitiæ istæ multiplices sunt et maximi valoris, nempe gratia vocationis sublimissimæ... scientia sacra... ipsum sacerdotium... oratio frequens... copia favorum cœlestium... votum pretiosissimum castitatis... innumeræ occasiones glorificandi Deum et salvandi animas.

Certe sacerdos *induitur purpura et bysso.* Quid splendidius, quid pretiosius veste sacerdotali? Dum stat sacerdos ad altare vestitus ornamentis sacris, gloriosior apparet ipsis regibus veste regia splendentibus; major enim est dignitas sacerdotis quam regis.

Certe sacerdos quotidie *splendide epulatur;* vescitur enim cibo divino, Corpore et Sanguine JESU CHRISTI.

Et tamen hic homo, talis ac tantus, tam dives, tam splendide vestitus, tam splendide nutritus, *sepultus est in inferno!*

II. Quomodo pervenit ad infernum? Percurrit quatuor vias pessimas.

Initio sui sacerdotii bene ambulabat coram Deo in simplicitate cordis; sed paulatim iniit *semitam tepiditatis:* hæc autem

semita sensim sine sensu deduxit eum ad *vias inferni.*

*Prima via*, neglectus orationis. Voluisset S. Theresia ascendere in montem altissimum et inde clamare ad omnes homines : « O fratres mei, orate, orate, quia qui orat salvabitur qui non orat damnabitur. » Ille miser sacerdos cœpit orationem decurtare, deinde prorsus omittere ; orabat forsan labiis, non corde.

*Secunda via*, vitium impuritatis. Hoc vitium ita sacerdotem debilitaverat ut, præter ruinam corporis, passus sit ruinam voluntatis, adeo ut etiam in hora mortis cesserit tentationi ; vere *mancipium diaboli* homo impurus.

*Tertia via*, communio sacrilega. Sciens et volens, peccato mortali commisso, accessit ad altare, impura manu virgineum Corpus JESU detrusit in os impurum, inde in pectus sordibus plenum, ubi crudeliter posuit aliquo modo benignissimum JESUM sub pedibus dæmonis !

*Quarta via*, animarum seductio. Accesserat ad eum anima innocens tamquam ad patrem, ut ab eo doceretur viam vitæ, et ecce miser, ut passioni suæ satisfaceret, eam docuit viam inferni. Quid crudelius excogitari potest ?

O sane corruptio optimi pessima ! An tantam proditionem a tuo sacerdote exspectare debebas, o mi JESU !

Utinam in æternum caveam a tepiditate, ne unquam per eam deducar ad pessimas vias, quibus ille sacerdos pervenit ad infernum ubi sepultus jaceat in æternum!

III. Quid in inferno patitur?

1° Patitur *ignem inexstinguibilem;* clamat enim : « Crucior in hac flamma. »

2° Patitur *sitim intolerabilem;* clamat enim : « Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam. »

3° Patitur *invidiam dolore plenam*, videns felicitatem Lazari, quem dum vivebat contempserat. « Peccator videbit,... et tabescet. » (Ps., CXI, 10.)

4° Patitur *desperationem*, intelligens se in æternum orbari omni auxilio, omni consolatione; respondet enim illi Abraham : « Inter nos et vos chaos magnum firmatum est. »

O mi Deus, hic ure, hic seca, hic me proba igne tribulationis, dummodo post mortem non debeam sustinere intolerabilem vim ignis, quo « potentes potenter torquentur » in inferno.

## EXAMEN.

### Circa imitationem angelorum.

Sacerdos cum sit angelus *visibilis* suæ parœciæ, angelos *invisibiles* per omnia imitari debet.

I. Angeli excellunt *adoratione.* An me vident parochiani adorare Deum in Tabernaculo frequenter, ardenter ?... Quoties de die inviso Sanctissimum ? Quo animo ? qua pietate ? qua fiducia ?... An meo exemplo suaviter attraho parochianos meos ad pedes JESU ?

II. Angeli excellunt *puritate.* An angelus sum puritate ?... An purus mente, corde, corpore, aspectu, tactu, sermone ?... An nulla familiaritas cum sexu femineo ?... An nulla visitatio mulieris imprudens ?... An nulla amicitia plus minusve sensualis, immo forsan carnalis ? An nullam præbeo adversariis ansam suspicandi meam castitatem ?

III. Angeli excellunt *promptitudine ad obediendum.* Qualis est mea obedientia non solum erga Summum Pontificem, erga episcopum, sed etiam erga immediatos superiores ? An obedientia mea est prompta, læta, simplex, generosa et constans ?

IV. Angeli excellunt *caritate. Angeli custodes* speciatim imitationi sacerdotis proponuntur.

1° Angeli custodes cum sancta indifferentia de manu Dei accipiunt clientes custodiendos ; quos autem acceperint, circumdant omni sollicitudine, omni prosequuntur amore, sive cliens sit filius regis, sive filius mendici. An ego contentus sum iis quos divina Providentia custodiæ meæ commisit ?

An non alios desidero et quæro clientes quam quos mihi dedit Deus?

2° Angeli custodes, licet commorentur in terris, tamen semper vident faciem Patris qui in cœlis est. An ego medios inter labores sufficienter cogito Deum præsentem?... An non negligo exercitia spiritualia prætextu laborum parochialium?

3° Angeli custodes avertunt clientem suum a peccato, amice et opportune eum admonendo. An ego prudentia et caritate prævenio peccata parochianorum meorum?

4° Angeli custodes non deserunt clientem, licet hic sollicitudini ipsorum non respondeat. An ego non facilius despondeo animum propter malam dispositionem subditorum meorum?

5° Angeli custodes ardentissima prece clientes suos commendant Deo; omni consilio et auxilio eos adjuvant, et, puro amore diligentes, conantur eos augere divitiis æternis. An ego sincere diligo *omnes* meos parochianos? An frequenter et ferventer eorum necessitates Deo commendo? An conor eis adesse consilio et auxilio, omni tempore? An sollicite quæro eorum felicitatem?

6° Angeli custodes *concordes* sunt inter se et sibi invicem præstant adjutorium pro bono clientum. An ego non videor laborare *zelotypia?* An inter me et alios sacerdotes est *animorum conjunctio?*

Quam felix, quam potens sacerdos qui, angelus ipse visibilis, utitur adjutorio angelorum invisibilium ad custodiendam parœciam suam!

# RECOLLECTIO XVII.

## MEDITATIO.

### De recordatione Sanctorum.

1. Præl. Videamus oculo mentis cœlum apertum et conspiciamus multitudinem Angelorum et Sanctorum exsultantium lætitia æterna.

2. Præl Petamus gratiam ita nunc imitandi Sanctos ut aliquando eorumdem felicitatem consequamur.

Bonus sacerdos ex recordatione Sanctorum tres eximios fructus colligere solet. Primus fructus est augmentum *fiduciæ;* secundus fructus est augmentum *fervoris;* tertius fructus est augmentum *lætitiæ.*

Augescit *fiducia* sacerdoti, dum considerat *qui* et *quales* fuerint Sancti.

Augescit *fervor* sacerdoti, dum considerat *qua via* iverint Sancti ad cœlum.

Augescit *lætitia* sacerdoti, dum considerat *qua felicitate* fruantur Sancti in cœlo.

I^um^ PUNCTUM. — **Felicitas Sanctorum excitat ad fiduciam.**

1° Nostram fiduciam mirum in modum auget hæc cogitatio : Sancti non fuerunt diversæ conditionis atque ego. Ut ego *homines* erant ; proinde obnoxii erroribus, periculis et multis miseriis... *Fragiles* erant, infirmi, immoderatis affectibus et vitiosæ naturæ concupiscentiis subjecti... Sicut ego viderunt se circumdatos innumeris insidiis, quas ipsis struebant mundus, dæmon et caro... Ad inconstantiam pronos se sentiebant, pronos ad ignaviam, pronos ad sensualitatem, sicut ego... Sicut ego, tentabantur superbia, vanitate, impatientia, ambitione, voluptate... Sicut ego, naturaliter abhorrebant ab omni mortificatione et a passionum refrenatione... Et ipsi scatebant defectibus, et ipsi prolapsi sunt in peccata, et inter illos sunt qui per aliquod tempus maximi fuerunt peccatores... Præterea cognoverunt Sancti miserias et tædia exsilii, et ipsi fleverunt in hac lacrymarum valle... Cognoverunt et ipsi ærumnas, hominum injustitiam,

ingratitudinem, malevolentiam.... Cognoverunt persecutiones et vexationes eorum, a quibus auxilium sperare debebant.

2° Est et alia cogitatio, quæ singulariter solet excitare nostram fiduciam, scilicet : Sanctis, qui nunc sunt in cœlo, *transierunt omnia.* De eis dictum est a Psalmista : « Euntes ibant et flebant mittentes semina sua ; venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos. » (Ps., CXXV, 6.)

O bone sacerdos, qui nunc gemis sub pondere miseriarum, infirmitatum, tentationum ; qui vides te humiliatum, derelictum, calumniis dilaceratum ; qui obrueris molelaborum et sollicitudinum, ecce veniet tempus quo his omnibus malis liberaberis. Tibi, sicut Sanctis, transibunt omnia mala. Si nunc videris et tu flendo mittere semina tua, veniens et tu venies cum exsultatione, portans manipulos tuos meritorum.... Exspecta Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, et sustine Dominum, veniens veniet consolator tuus et non tardabit. Finem ipse imponet laboribus

tuis, ærumnis tuis ; lacrymas tuas absterget ab oculis, dicens tibi, sicut omnibus Sanctis dixit : « Euge, serve bone et fidelis... intra in gaudium Domini tui. » (Matth., XXV, 21.)

Quis sacerdos hæc meditans serio, non ingentem concipiet fiduciam !

II^um^ PUNCTUM. — **Felicitas sanctorum excitat ad fervorem.**

Verum est aliquos Sanctos ivisse ad cœlum per vias vere admirabiles et *extraordinārias*. Aliqui stupendas usurparunt pœnitentias, et pia crudelitate in corpus suum ferri visi sunt... Alii illustribus donis cœlitus acceptis, mirabilia opera inter homines patrarunt, adeo ut vita illorum apparuerit tamquam concatenatio miraculorum... Alii, pulsi desiderio lucrandi animas Deo, per maria, per montes et sylvas, in regionibus longinquis giganteos labores exantlarunt, innumeros homines ad fidem converterunt... Alii, pro gloria Dei, pro defensione veritatis, pro juribus Ecclesiæ, sanguinem suum generose fuderunt.

Sed quam multi Sancti iverunt recte ad cœlum per viam communem, per viam tritam, per viam ordinariam!

Et quænam est hæc via? Est via mandatorum; est via virtutum quam CHRISTUS docuit et exemplo suo monstravit.

Via hæc est via *paupertatis;* est via *obedientiæ;* est via *humilitatis;* est via *patientiæ;* est via *pietatis.*

1° *Via paupertatis.* « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » (Matth., v, 3.) Ergo, divitiæ si affluant, nolite illis cor apponere. Si vero deficiant, nolite propterea contristari. Si injuste auferantur quæ habetis, dicite generose: « Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. » (Job., I, 21.) Ne adhæreamus terrenis, ut tandem cœlestia adipiscamur.

2° *Via obedientiæ.* « Vir obediens loquetur victoriam. » (Prov., XXI, 28.) Estote ergo obedientes, et victoriæ palma in æternum gloriabimini.... Obedite mandatis Dei; obedite legibus Ecclesiæ: obedite præceptis præpositorum vestro-

rum, et exsultatione æterna exsultabitis in cœlo.

3° *Via humilitatis.* « Qui se humiliat exaltabitur. » (Luc., XIV, 11.)

Quis sacerdos dicendus est se humiliare ? Ille qui æquo animo suffert humiliationes occurrentes.... Ille qui contentus est humili sua conditione, quam ipsi fecit divina Providentia.... Ille qui, nactus dignitates et honores, minime effertur animo, neque alios contemnit, immo propriis oculis vilescit.... Ille tandem qui, ne in superbiam dilabatur, cavet sedulo ab omni *cogitatione* superba, ab omni *desiderio* vanitatis, ab omni *verbo* propriæ æstimationis indicio.

Talis sacerdos certo certius exaltabitur coram Sanctis et Angelis, et eo majore gloria splendebit per totam æternitatem, quo magis in terris se viderat contemptum.

4° *Via patientiæ.* « Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. » (Matth., v, 5.) Atqui lugemus *patiendo*, lugemus *laborando*, lugemus *adversa sustinendo*, lugemus ærumnas vitæ accipiendo, lugemus peccata nostra et aliena deflendo.

*Possideamus* igitur in *patientia animas* nostras, et procul dubio consolationes nos lætificabunt in cœlo. Dicemus Deo nostro magna cum jucunditate : « Secundum multitudinem dolorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. » (Ps., XCIII, 19.)

5° *Via pietatis.* « Petite et dabitur vobis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. » (Matth., VII, 7.) Petimus autem, quærimus et pulsamus *orando.* Proinde oremus ; oremus *frequenter;* oremus *ferventer;* oremus *confidenter*, et cœlum nobis aperiet oratio.

O bone sacerdos, quam simplex, quam recta, quam secura est tibi via ad patriam !

Non exiguntur a te res extraordinariæ ; non tibi proponuntur pœnitentiæ multæ ; non expetuntur labores nimii. Imple fideliter obligationes sacerdotii tui, et ibis in cœlum... Esto servus bonus et fidelis, licet in paucis, et intrabis in gaudium Domini tui... Vita sedulo peccatum ; serva generose votum castitatis ; recita breviarium et celebra missam devote ; administra

sacramenta gregi tuo tamquam dispensator fidelis; patienter accipe ingrata quæ occurrunt: et in cœlo Deus erit merces tua magna nimis.

Quis sacerdos hæc intelligens, non sentiet inflammari ad obeunda magno cum fervore sanctissima munera suæ sanctæ vocationis? Eo magis quod frustra quis speraret, se ad cœlum perventurum per aliam viam! « Ad regnum cœlorum, ait S. Augustinus, non conducit nos gloria mundi, non multitudo divitiarum, non nobilitas generis, non scientia, non sapientia, non facundia verborum; sed solum gratia, virtutes et opera. » — « Regnum cœlorum, dixit Bellarminus, non *personis*, sed *virtutibus* datur. »

III^um^ PUNCTUM. — **Felicitas Sanctorum excitat ad gaudium.**

Quænam est felicitas Sanctorum? Possumus respondere uno verbo: Sunt in *cælo*, et sunt in cœlo in æternum.

Sed quid est *cælum?* Respondet S. Paulus: « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit,

quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum. » (I Cor., II, 9.)

Liceat tamen de his aliquid balbutire.

1° *Cœlum est exclusio omnium malorum.* « Non erit ibi, ait S. Augustinus, fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo jejunii, nec ulla tentatio inimici, non peccandi voluntas; sed totum lætitia, totum exsultatio possidebit. »

2° *Cœlum est congregatio omnium bonorum.*

*a*) In cœlo *anima* delectabitur visione Dei. Etenim ubi anima, plene purgata, exivit a corpore, ei restituuntur in integrum tres facultates quæ hic in terris per peccatum erant labefactatæ. Deinde Deus eam elevat ad lumen gloriæ, ut se videat sicuti est. « Et in lumine tuo, exclamat Psalmista, videbimus lumen. » (Ps., XXXV, 10.) — « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. » (Ps., XXXV, 9.) — « Satiabor, cum apparuerit gloria tua. » (Ps., XVI, 15.)

*b*) In cœlo lætabitur et *corpus*

nostrum. Post resurrectionem indue qualitates corporis gloriosi Christi :

*Pulchritudinem.* « Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. » (I Cor. XV, 43.)

*Incorruptibilitatem.* « Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. » (Ib., 53.)

*Subtilitatem.* « Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. » (Ib., 44.)

*Agilitatem.* « Seminatur in infirmitate, surget in virtute. » (Ib., 43.)

*c*) In cœlo beatitudo est *societatis*. Ibi innumeri Sancti et Angeli, qui omnes se invicem cognoscunt intime, sincerissime amant, invicem sibi gratulantur, gratias agunt de auxilio pro salute in terris præstito, filius patri, pœnitens confessario, cum ineffabili gaudio, in dulcedine et plenitudine pacis.

Quomodo hæc serio considerare potest sacerdos, quin exsultet sancta lætitia ? Cogitur exclamare : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine vir-

tutum ; concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. » (Ps., LXXXIII, 1, 2.) — « Beati qui habitant in domo tua, Domine ; in sæcula sæculorum laudabunt te. » (Ib., 5.)

Unusquisque dicat gaudens : Si hic bene vixero, bene moriar; si autem mors mea sancta fuerit, ab angelis in cœlum deportabor. Ibi *videbo* Deum facie ad faciem ; *possidebo* Deum sine inquietudine ; *amabo* Deum sine mensura ; *fruar* Deo sine satietate. Videbo in cœlo Salvatorem meum in omni splendore et gloria. Videbo cœli Reginam ad latus ejus, stellis coronatam. Videbo omnes Sanctos in tanta gloria, ait S. Antonius, ut, « si corpus glorificatum esset in firmamento, et tot essent soles quot stellæ sunt in firmamento, adhuc millies clarius esset corpus gloriosum, et sua claritate exstingueret omnes soles. »

O quam sordet mihi tellus, dum cœlum suspicio !

Nunc tandem intelligo quod dixit S. Paulus : « Existimo enim quod non

sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. » (Rom., VIII, 18.)

Ergo libenter nunc patiamur, ut gaudeamus in æternum ; nunc libenter humiliemur, ut in æternum exaltemur ; nunc libenter lugeamus, ut in æternum consolatione ineffabili affluamus.

---

## EXAMEN.

### Circa pietatem nostram erga animas purgatorii.

Purgatorium relate ad animas in eo detentas est *locus tormentorum ;* relate ad nos est *schola sanctitatis.*

An ego sacerdos conor sufficienter minuere tormenta quæ animæ justæ patiuntur in purgatorio ?

An ego sacerdos sufficienter erudior in hac schola sanctitatis ?

I. Multiplex mihi est modus animas purgatorii juvandi : oratio, pœnitentia, eleemosyna, sacrificium missæ, labor, bona opera, indulgentiæ. 1° An oro frequenter, ferventer, fiducialiter pro tot animabus mihi carissimis, quæ forsan propter me detinentur in hoc carcere divinæ justitiæ? — 2° An earum intuitu identidem elargior aliquid eleemosy-

narum? — 3° An pro ipsarum liberatione libenter celebro missam quotiescumque est occasio? — 4° An in ipsarum levamen utor operibus pœnitentiæ, adhibendo, ad imitationem Sanctorum, disciplinam, cilicium, catenas ferreas, jejunium, mortificationes? — 5° An soleo quotidie ita formare intentionem ante omnem laborem, ut animæ purgatorii aliquid percipiant ex fructu mei laboris? — 6° An non sum negligentior in lucrandis indulgentiis?

II. Si interrogarem sacerdotem, hic et nunc commorantem in purgatorio, quænam mihi daret consilia, ad illud vitandum? 1° Ut magni faciam exercitia spiritualia quotidiana. An ea magni facio? — 2° Ut ferventer recitem breviarium. An breviarium recito convenienter? — 3° Ut missam celebrem quam devotissime. Quomodo celebro missam? — 4° Ut nihil negligam ex iis quæ pertinent ad functiones sacerdotales. An nullam functionem sacerdotalem negligo? — 5° Ut fideliter visitem ægrotos et sedulo præparem moribundos ad pie moriendum. An curo sufficienter infirmos et moribundos? — 6° Ut exhibeam maximam sollicitudinem erga eruditionem parvulorum. An non negligo scholas? — 7° Ut caveam quam maxime a tristissima tepiditate. An non sum tepidus? — 8° Ut diligenter quædam peccata venialia vitem quæ facilius

et frequentius committo. An abhorreo sufficienter a peccato veniali?

Si sacerdotes, qui cruciantur in flammis purgatorii redirent ad vitam, quomodo viverent?... Ita nunc vitam nostram instituamus

# RECOLLECTIO XVIII.

## PRIMA MEDITATIO.

### De Immaculata Conceptione B. M. V.

1. Præl. Videamus cœlum apertum et aspiciamus Mariam excipientem gratulationes Angelorum et Sanctorum.

2. Præl. Petamus duplicem gratiam, gratiam intelligendi quale sit gaudium Mariæ de Immaculata sua Conceptione, et gratiam Matri nostræ congaudendi ex toto corde.

Perpendamus verba quæ a sacerdotibus suis legi voluit Ecclesia in Introitu missæ diei.

« Gaudens gaudebo in Domino, et exsultabit anima mea in Deo meo : quia induit me vestimentis salutis ; et indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsam ornatam monilibus suis. Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me ; nec delectasti inimicos meos super me. »

Hæc verba consideremus : 1° relate ad Mariam ; 2° relate ad nos.

I^um^ PUNCTUM. — **Gaudium Mariæ.**

Exprimunt hæc verba gaudium ingens, gaudium non humanum, sed cœleste. « Gaudens, gaudebo *in Domino.* »

Gaudium hoc non solum exterius est et apparens, sed interius etiam et ipsam animam afficiens. « Exsultabit *anima mea* in Deo meo. »

Porro quænam est causa tanti gaudii ? Non ea sane propter quam solent homines gaudere. Homines enim gaudent vel propter divitias, vel propter vitæ commoda, vel propter honores. Propter talia non gaudet Virgo Immaculata. Quare igitur gaudes, o Maria ? « Gaudens, gaudebo... quia induit me vestimentis salutis et indumento justitiæ circumdedit me. » Gaudet quia induitur *gratia ;* gaudet quia ornatur *justitia ;* gaudet quia hac gratia et hac justitia efficitur sponsa Deo gratissima. « Quasi sponsam ornatam monilibus suis. »

Hoc autem gaudium Mariæ sterile non est, conjungit enim Maria cum gaudio grati animi testificationem : gratias

enim agit Deo quod hac, qua splendet anima gratia et justitia originali, jucunda facta sit et accepta Deo. « Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me. » Gratias agit Deo quod sic evaserit inimicis suis terribilis, eosque devicerit et plane profligaverit. « Nec delectasti inimicos meos super me. »

Misceamus nos choris Angelorum Sanctorumque et lætabundi dicamus Mariæ toto pectore : « Tota pulchra es, Maria, et macula originalis non est in te. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri! »

II^um^ PUNCTUM. — **Gaudium nostrum.**

Maximopere convenit ut festum Immaculatæ Conceptionis celebrantes, idem sentiamus quod sensisse prædicatur Maria.

Ipsa gaudet de sua Immaculata Conceptione ; ergo et nos de ea gaudeamus.

Ipsa gaudet gaudio sancto ; ergo et nobis gaudendum est sancte.

Ipsa gaudet gaudio utili et efficaci ; tali gaudio nobis gaudendum est.

I. Nobis gaudendum est de Immaculata Conceptione B. M. V.

Nihil magis naturæ humanæ convenit quam ut filius, matrem suam videns gaudio exsultantem, ipse etiam gaudeat. Filii sumus Mariæ; est enim nobis *in ordine gratiæ*, quod Mater nostra est *in ordine naturæ*. Gaudeamus igitur quod Mater nostra præservata fuit ab originali peccato, et in suo Conceptu Immaculato tanta copia gratiarum ornata fuit, quanta ne omnibus quidem angelis et hominibus simul sumptis contigit.

Gaudeamus quod Deus voluit hoc Matris nostræ privilegium hominibus notum facere ab initio mundi et in decursu sæculorum, per oracula Prophetarum et per splendidissimas figuras.

Gaudeamus quod Deus admirabiliter præparavit ejusdem privilegii promulgationem authenticam piis desideriis et votis populi christiani.

Gaudeamus tandem quod Deus dignatur hisce diebus Conceptionem Matris nostræ singulari splendore cir-

cumdare per innumera prodigia, quæ ante oculos nostros quotidie patrantur.

II. Nobis gaudendum est *sancte*.

Gaudere *sancte* est petere gaudium, non ex fonte turbido et venenato, ex quo mundani homines sua gaudia conspiciuntur haurire, sed ex illo fonte ex quo intelleximus Mariam suum gaudium hausisse. Ut Maria, gaudeamus in Domino, i. e. propter *gratiam* et propter *justitiam*.

1° Gaudeamus de *gratia* nobis concessa et de illis omnibus mediis quibus gratia conservatur et augetur. Proinde gaudeamus de augmento fervoris, humilitatis, obedientiæ, castitatis, patientiæ, caritatis et cæterarum virtutum. Gaudeamus etiam de oratione, de labore, de humiliatione, de receptione Sacramentorum, quia per hæc experimur in nobis gratiam augescere.

2° Gaudeamus de *justitia* et de illis ex quibus nostra justitia intelligitur accipere incrementum.

Gaudendum igitur est de minutione peccatorum, de exstirpatione vitiorum, de emendatione defectuum.

Gaudendum est de successu in examine, tum particulari, tum generali: de fructu bonæ confessionis, de usu mortificationis et pœnitentiarum, de correctione fraterna.

III. Nobis gaudendum est gaudio *utili* et *efficaci*.

Maria perfecte respondit gratiæ sui Immaculati Conceptus.

1° Diligenter invigilabat sensibus suis et cordis affectibus, per admirabilem *modestiam* atque *prudentiam*, ne unquam aliqua vel minima nebula obscuraret animam suam.

Et nos sensibus et cordis affectibus invigilemus, amovendo quidquid posset minuere splendorem nostræ puritatis sacerdotalis.

2° Sedulo se exercebat in omnibus quibus intelligebat se placituram Deo. Hinc ardens desiderium faciendi per omnia sanctissimam Dei voluntatem ejusque gloriam omni occasione promovendi.

Utinam et nobis cura esset adimplendi semper Dei voluntatem, et ipsi laboribus nostris procurandi majorem in dies gloriam!

3° Puritate sua dæmonibus se faciebat terribilem, adeo ut ab Ecclesia dicatur contrivisse caput draconis infernalis pede suo immaculato.

Nos quoque vita nostra immaculata obsistamus impiis conatibus spirituum malignorum, qui pervagantur in hoc mundo ad perditionem animarum.

## ALTERA MEDITATIO.

### De sancto Francisco Xaverio.

1. Præl. Repræsentemus nobis sanctum Franciscum, peractis exercitiis spiritualibus, sistentem se sancto Ignatio, et offerentem se ad omnia quæ major Dei gloria exigeret.

2. Præl. Petamus gratiam, fructum sacri sccessus conservandi sicut eum conservavit S. Franciscus.

Scimus S. Francisci admirabilem sanctitatem initium sumpisse ab ipsis sacris exercitiis quæ, duce sancto Ignatio, Parisiis obierat. Hæc exercitia ingressus fuerat *totus ;* in iis manserat *solus ;* ex iisdem exiverat *novus.*

Consideremus :

1° qualis fuerit ante exercitia ;

2° qualis ex iis exiverit ;

3° qualis deinceps fuerit.

Ium PUNCTUM. — **Qualis fuit ante exercitia?**

Vir mundanus et sequens principia mundanorum... Res prosequebatur nugatorias, neglectis æternis... Avide quærebat æstimationem hominum, parum sollicitus de æstimatione Dei... Vanus vanam quærebat mercedem.

An non fui aliquando similis illi?

IIum PUNCTUM. — **Qualis ex iis exivit?**

Vir novus et ad omnia paratus, etiam ad maxima.

Intellecta enim gravitate peccati... perpensa magnitudine pœnarum quas patiuntur damnati... perspecta etiam brevitate et vanitate hujus vitæ, simul ac certitudine mortis... sedaverat conscientiam suam ope bonæ confessionis... Postea audita voce Domini ipsum invitantis ad sui sequelam, dixerat Domino *velle se insignem esse in hac sequela Regis sui* æterni, et juraverat se ipsum secuturum per summam paupertatem et per opprobria... Postquam autem regem suum contemplatus fuit contemptum, flagellatum, injuste accusatum et mortem turpissimam obeuntem cum tanta patientia et caritate, cœpit ardenter æstuare amore patiendi, adeo ut unice jam in votis haberet laborare, pati, contemni et mori pro JESU.

An talis est mea præsens animi dispositio?

III^um^ PUNCTUM. — **Qualis deinceps fuit ?**

1° Relate ad *Deum*, fidelissimus, etiam in minimis... ejus gloriæ studiosissimus... filiali et fiduciali familiaritate cum Deo conjunctissimus.

2° Relate ad *familiam suam religiosam*, filius amantissimus... propagator ardentissimus... ejus ornamentum splendidissimum.

« O Societas JESU, exclamabat, si unquam tui oblitus fuero, oblivioni detur dextera mea ; adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero te in principio lætitiæ meæ. »

3° Relate ad *proximum*, caritate plenus. Sufficit considerare quid fecerit et quid facere statuerit, ut habeatur aliqua idea ingentis caritatis qua flagrabat erga homines. Vere Francisci cor mundo majus !

4° Relate ad *se*, sui semper dominus, sui semper victor, sui semper contemptor, suæ perfectionis sedulus æmulator. Fervorem, quem concepit in sanctis exercitiis, totum usque ad ultimum vitæ suspirium conservavit.

Utinam et nos ! Quare non possemus quod ipse potuit ? Audentes et Deo fidentes mirifice solet Dei gratia juvare.

## EXAMEN.

Circa curam ecclesiæ et rerum ad ecclesiam pertinentium.

I. Ecclesia.

1. An considero ecclesiam mihi commissam ut *Dei donum*, cujus ipse Deus me constituit præpositum et custodem ?

2. An exigo ut ubique sit maxima mundities atque nitor ? An ornamenta sunt munda ? An munda vasa ? An nullibi sordes? An non nimius pulvis est in Tabernaculo ? in altari ? in pulpito? in confessionali? in baptisterio ? in tabulato ? in scamnis ? An mundum vasculum ex quo fideles hauriunt aquam lustralem ?

3. An in ecclesia omnia ordinate posita conspiciuntur, ut sedilia, scamna, missale et alia similia ?

4. An officia divina celebrantur tempore opportuno, non unice pro commoditate sacerdotis, sed pro commoditate fidelium ?

5. An omnia fiunt reverenter et decore ? An non fiunt quædam præcipitantius ?

6. An exigo a cantatoribus ut cantus sit pius, decens, plenus suavitate ?

7. An mea cura et diligentia, immo et sancta industria ita fiunt omnia in ecclesia mea, ut fideles ad eam dulciter alliciantur et libenter intersint cæremoniis sacris ?

8. An ecclesia mea ita manet aperta ut

volentibus aditus sit liber ad divinum Hospitem in Tabernaculo commorantem ?

9. An videor ipse frequenter et libenter adire ecclesiam ?

II. Sacristia.

1° An splendet mea sacristia munditie ?

2° An splendet *ordine*, quo omnia ornamenta et vascula sacra recondita sunt in loco convenienti ?

3° An splendet *silentio ?* An ipse servo silentium in sacristia, et curo ut ab aliis servetur ?

4° An ita invigilo *officialibus* meis, et ita stimulo eorum zelum ut singuli suaviter inducantur ad implendum officium suum fideliter et diligenter ?

# RECOLLECTIO XIX.

## PRIMA MEDITATIO.

### De SS. Nomine JESU.

1. Præl. Audiamus Mariam et Joseph hoc admirabile Nomen pronuntiantes cum maxima reverentia, cum ineffabili suavitate.

2. Præl. Petamus gratiam Nomen Jesu cognoscendi, reverendi, amandi ardentissime.

Consideremus Nomen Jesu *in se* et *relate ad nos.*

### Iᵘᵐ Punctum. — Nomen JESU in se.

Ut recta habeatur notio alicujus nominis et tota ejus nobilitas intelligatur, inquiri debet: a) de *origine*, b) de *causa*, c) de *gloria* ejus.

Hæc tria, divinitus doctus, nobis revelavit S. Paulus, scribens ad Philippenses II, 8-11: « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in Nomine Jesu omne genu flectatur

cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus JESUS CHRISTUS in gloria est Dei Patris. »

In his verbis luculenter indicat Apostolus et *originem*, et *causam*, et *gloriam* Nominis JESU.

1° *Originem.* Aperte nobis dicit Paulus Nomen JESU venire de cœlo. Deus enim, non alius, dedit illi hoc nomen. Quod pulcherrime confirmat duplex locus Evangelii; prior ubi, Deo jubente, Angelus dixit Mariæ : Vocabis nomen ejus JESUM; posterior ubi idem Angelus idem injungit Joseph. Ergo nomen hoc *Deus donavit, manifestavit Angelus, imposuerunt Maria et Joseph.* Quam nobilis origo!

2° *Causam.* Non minus clara sunt verba Apostoli: *Humiliavit semetipsum*, etc... Ergo propter humiliationes, propter obedientiam, propter crucem. Sed quare se humiliavit? Quare obediens factus est? Quare in crucem ascendit? Audiamus Angelum respondentem : « Vocabis nomen ejus JESUM. Ipse enim salvum faciet populum suum a

peccatis eorum. » (Matth., I, 21.) Ergo humiliavit se, obedientem se fecit, mortem crucis subiit propter nos, propter nostram salutem. Quod quidem propria sua significatione præ se fert Nomen Jesu, siquidem Jesus, juxta etymologiam, nihil aliud est ac *Dominus Salvator*.

Unde divus Bernardus : « Cum nomino Jesum, hominem mihi propono mitem et humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, et omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, eumdemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me et exemplo sanet et roboret adjutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cum insonuerit Jesus. » (Sermo XV in Cant.)

Ergo quisquis pronuntiat hoc nomen, sibi repræsentet Jesum in præsepio positum... in templo oblatum... in exsilium actum... absconditum in domo Nazarethana... jejunantem in deserto... prædicantem regnum cœlorum... innumera patrantem miracula... flagellis subditum... morientem in cruce. Ita ut nomen Jesu sit veluti

*compendium* totius vitæ, passionis et mortis quibus nobis regnum cœlorum aperuit.

3° *Gloriam.* De hac præclarissime sane dixit Paulus : « Nomen est super omne nomen. » Tale est ut in nomine Jesu omne genu flectatur.

Quanto igitur honore afficiatur in cœlo, testatur Apostolus dicens, in hoc nomine omne genu flecti *cœlestium.*

Quanto vero timore illud nomen in inferno audiatur, testatur idem Apostolus dicens in nomine Jesu omne genu flecti *infernorum.*

Quanto autem honore gaudeat in terris, ipsi videmus, cum constet S. Joannem Evangelistam tanto amore hoc sanctissimum Nomen prosecutum esse, ut illud nominaverit in scriptis suis ducentis et viginti duabus vicibus ; S. Paulum in suis epistolis ducenties octies decies hoc nomen usurpasse ; S. Julianum, ubicumque hoc nomen scriptum inveniret, adeo rigasse lacrymis ut litteræ in codicibus a lacrymarum irrigatione corrumperentur ; S. Franciscum Salesium millies scripsisse:

« Vivat Jesus ; » S. Bernardum experientia didicisse hoc Nomen esse *mel in ore, in aure melos, jubilum in corde.*

Gaudeamus de tanta gloria nominis Jesu!

IIum Punctum. — **Nomen JESU relate ad nos.**

Non otiose Nomen Sponsi æterni S. Spiritus comparat *oleo*, dicens : « Oleum effusum nomen tuum. » Habet enim hoc divinum Nomen, in ordine spirituali, omnes qualitates quas habet oleum in ordine naturali. Etenim, ut optime explicat S. Bernardus, oleum *lucet, pascit, lenit.* Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem. Est igitur oleum *lux, cibus, medicina.* Sic se habet Nomen Jesu relate ad animas.

1° *Prædicatum lucet.* Est factum historicum. A tempore quo prædicari cœpit Nomen Jesu, tenebræ hujus mundi dissipatæ fuerunt, et lux magna orta est quæ totum orbem terrarum implevit.

2° *Recogitatum pascit.* Etenim cogitationes elevat sursum ; affectiones cordis nobiliores facit ; excitat ad magna et ardua.

3° *Invocatum lenit et ungit.* Experientia constat invocatione Nominis Jesu hominem singulariter juvari in doloribus mentis et corporis, in humiliationibus, in tentationibus etiam gravissimis.

Praxis nostræ pietatis sit:

1° Nunquam nisi cum summa reverentia pronuntiare Nomen Jesu.

2° Illud sæpissime et cum fiducia invocare.

3° Quando scribendum est, illud scribere quam nitidissime et singulari cum cura.

4° Condire prædicationem nostram hoc augustissimo Nomine.

5° Hoc Nomen cum magno zelo laudare.

## ALTERA MEDITATIO.

### De brevitate vitæ.

1. Præl. Nosmetipsos intueamur inter mille ægritudines et mortis causas constitutos.

2. Præl. Petamus gratiam intelligendi nos esse peregrinos super terram et brevi migraturos.

Brevitatem vitæ admirabiliter exprimit S. Spiritus referens hæc impiorum verba : « Transierunt omnia illa. »

Hæc verba cum ingenti pœnitudine pronuntiant *damnati ;* cum ingenti gaudio pronuntiant *justi ;* pronuntiare debet cum sancto timore *unusquisque nostrum.*

Quid significant in ore *damnatorum?* Quid in ore *justorum ?* Quid in ore *nostro ?*

I. In ore *damnatorum* significant : Quidquid in mundo constituebat felicitatem nostram, transiit, et transiit in æternum.

Putabamus *divitias* beatos efficere posse ; quæsivimus divitias ; divitias possedimus ; divitiæ transierunt, transierunt in æternum.

Putabamus *honores* beatos efficere posse ; honores quæsivimus ; honores habuimus ; honores transierunt in æternum.

Putabamus *voluptates* carnis posse efficere beatos : voluptates quæsivimus ; voluptates transierunt.

In æternum clamabit *dives* damnatus : Transierunt divitiæ meæ.

In æternum clamabit *rex* aut *imperator* damnatus : Transierunt honores mei.

In æternum clamabit *voluptarius* damnatus : Transierunt voluptates meæ.

In æternum clamabit *sacerdos* miser qui periit propter nimium amorem divitiarum..... dignitatum..... carnis : Transierunt divitiæ ; transierunt dignitates ;

transierunt carnalia desideria, transierunt in æternum.

II. In ore *justorum* significant : Quidquid in mundo me miserum faciebat oculis hominum, transiit.

Me miserum putabant homines qui me videbant exantlare labores, sustinere ærumnas, subire calumnias, pati hominum injurias, devorare molestias, usurpare pœnitentias et pro laboribus meis et meis sacrificiis non obtinere nisi signa ingrati animi et hominum oblocutiones. Sed transierunt hæc omnia, et transierunt in æternum.

Petro transierunt crucis dolores.

Stephano transierunt lapidum cruciatus.

Laurentio transierunt flammæ.

Sebastiano transierunt sagittæ.

Omnibus transierunt dolores, transierunt labores, transierunt opprobria.

III. In ore *nostro* significant : Transierunt tot dies, tot menses, tot anni ; transiit vita mea tamquam umbra.

1° In memoriam revocemus annos præteritæ vitæ nostræ et cogitemus, de paucis istis annis demi debere tempus infantiæ, tempus somni et alia tempora quibus vivimus quasi non essemus. Ex quibus concludere possumus quam *exiguo tempore* censeri debeamus vixisse.

2° Comparemus deinde hanc brevem vitam nostram cum vita illorum qui olim

vixerant octingentis, nongentis annis et mortui sunt. Comparemus tempora illa cum æternitate, et concludamus, recte Apostolum vocasse id quod in præsenti est *momentaneum*, et bene dictum esse a Job : « breves dies hominis sunt... Numquid non *paucitas dierum meorum finietur brevi ?* »

3° Concludamus etiam quanta cæcitas sit et stultitia, cum tam pauci dies nobis dati sint ad iter faciendum versus finem creationis nostræ, declinare a via et hærere in vili et vana re.

4° Dicamus igitur quod habetur apud Isaiam XXXVIII, 15 : « Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. » Nam amarum est, tempus tam breve et tam pretiosum impendisse vanitati et peccatis. Id defleamus amaris lacrymis, et, quod melius est, exemplo S. Stanislai Kostkæ, « tempus instanter operando redimentes, in æternam ingredi requiem festinemus. »

## EXAMEN.

### Circa usum temporis.

1° An mihi persuasum est *tempus* esse rem pretiosissimam, cujus nulla particula deperdenda ? S. Antonius dicere solebat tempus esse tam pretiosum ut damnati, si omnes thesauros hujus mundi in sua potestate haberent, libenter eos darent pro uno temporis puncto.

2° An non multum temporis inutiliter tero, quia deest *ordo* in rebus spiritualibus et domesticis, in studiis, in muneribus meis? An non omnia quasi *casu* et *confuse* perago?

3° An utor constanter *examine prævisionis*, mane prævidendo et ordinando quæ illa die facienda sunt, et eadem notando in schedula quæ mihi in mentem revocet quæ facere statui?

4° An *surgo* quotidie hora statuta?

5° An hora statuta *decumbo?*

6° An recito officium divinum *quam primum?*

7° An non soleo *differre* in aliud tempus quod hic et nunc facere possum?

8° An non nimium tempus impendo:

*a*) lectioni ephemeridum?

*b*) confabulationi inutili?

*c*) lusui?

*d*) visitationibus?

*e*) compotationi?

9° An non trado me inopportuno otio?

10° An tempestive præparo concionem?

11° An debito tempore respondeo ad epistolas mihi scriptas?

12° An mihi magna est diligentia ad bene utendum tempore *libero*, ad exemplum S. Francisci Salesii qui, admirabili usu temporis sibi concessi, tam multa simul opera suscipere et perficere potuit?

# RECOLLECTIO XX.

## PRIMA MEDITATIO.

### De Regibus Magis.

1. Præl. In mentem revocemus quomodo tres Magi fideliter secuti sint stellam, quæ apparuerat in Oriente, et adoraverint Christum Dominum eique obtulerint munera.

2. Præl. Petamus a Deo gratiam imitandi generosam Magorum pietatem.

Contemplemur Reges Magos :

1. in discessu a patria ;
2. in adventu ad stabulum ;
3. in reditu in patriam.

### Iᵘᵐ Punctum. — Discessus a patria.

1. Consideremus ipsam *stellam*... Est splendidissima... Omnes eam vident... ; multi intelligunt esse miraculosam... ; nonnulli intelligunt eam indicare nativitatem Salvatoris... ; *tres* tantum Deo per stellam vocanti respondent.

Nostra stella est *specialis vocatio ad sanctitatem sacerdotalem*... *Multi* hanc viderunt..., *pauci* sancti facti sunt.

Quare ? Quia ignavi... incurii... amantes commodorum.

2. Consideremus quid Magi *fecerint.*

*a*) Minime attendentes ad indifferentiam, ad ignaviam, ad incuriam aliorum,

*b*) se dederunt itineri..., susceperunt laborem arduum..., magnas contraxerunt molestias, ut stellam sequerentur, et sic ad Salvatorem venerunt.

Ad eorum exemplum, nos quoque accingamus itineri; præparemus nos ad labores, ad privationem rerum multarum. Paratos nosexhibeamus ad labores apostolicos, nam per tales labores sanctificat se sacerdos. Operemur bonum, dum tempus habemus.

3. Consideremus *tribulationem* Magorum.

Cum venissent Jerosolymam, evanuit stella ex oculis eorum, sed minime turbati sunt animo. Sacerdotes et scribas et ipsum regem adiverunt, et ubi media *supernaturalia* abesse videbant, ad media *naturalia* prudenter se contulerunt.

Sic et nos agere debemus tempore desolationis. Non enim semper æque faciles videbuntur res nostræ vocationis ; erunt tenebræ ; erit repugnantia ; erit tristitia ; erit fatigatio. Imitemur tunc Magos pergendo in bene cœptis et sequendo consilia eorum, quos Deus nobis dedit ad nos edocendos.

II^um^ PUNCTUM. — **Adventus ad stabulum.**

1. Egressis Jerosolyma iterum apparuit stella, et gavisi sunt gaudio magno valde.

Ita consolatio sequi solet desolationem patienter toleratam... Desolatio est indicium proximæ consolationis.

2. Intraverunt in locum ubi erat puer. Quid viderunt ?... et tamen adoraverunt JESUM... Ne igitur terreant nos quæcumque ingrata et injucunda, quæ non raro occurrunt in vita apostolica.

3. Quanta Magorum felicitas ! Sane non eos pœnitet reliquisse patriam, suscepisse iter longum et difficile, non cecidisse animis propter ingruentem desolationem.

4. Obtulerunt puero JESU munera quæ habebant pretiosissima, aurum, thus et myrrhan.

Offeramus nos JESU triplex propositum :

*a*) vacandi orationi fideliter ;

*b*) exercendi caritatem erga alios generose ;

*c*) nosmetipsos mortificandi viriliter.

Est enim puero JESU oratio nostra *thus* jucundissimum ; caritas nostra *aurum* purissimum ; mortificatio nostra *myrrha* maximæ suavitatis.

III^um^ PUNCTUM. — **Reditus in patriam.**

Admonentur Magi de periculo vitando.

1. Admiremur Dei providentiam quæ nunquam deest serio JESUM quærentibus. Profecto si et nos vere quæsiverimus JESUM, providentia Dei nobis aderit per omnia.

2. Vetantur Magi ne redeant ad Herodem, et jubentur reverti in patriam per *aliam* viam.

Herodes noster est amor noster

proprius, sensualis, ignavia nostra, tepiditas, levitas, incuria.

Mihi jam non licet ad hunc Herodem redire ; sed mihi omnino redeundum est in patriam per *aliam* viam, per viam quam perlustravit puer Jesus, dux meus amantissimus, per viam *arctam*, et minime per viam *latam* quæ perducit ad interitum.

Instituamus fervens *colloquium :*

1° cum Magis, eis congratulando de diligentia, de patientia, de munificentia ;

2° cum Maria et Joseph, eos rogando ut Jesu infanti præsentare velint munera nostra ;

3° cum Jesu, eum adorando ex toto corde et protestando nos velle ei adhærere in æternum.

« Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. » (Ps., LXXII, 28.)

## ALTERA MEDITATIO.

### De fine nostro.

1. Præl. Audiamus Deum dicentem : « Ego sum alpha et omega, principium et finis. » (Apoc., I, 8.)

2. Præl. Petamus gratiam intelligendi finem propter quem creavit nos Deus, et hunc finem attingendi.

Convenit sane ut identidem unusquisque sacerdos respondeat serio ad hanc triplicem quæstionem : Unde venio? Quo vado? Ubi sum?

I^um^ PUNCTUM. — Unde venio?

1° Venio a Deo. Et re quidem vera ubinam eram abhinc centum annis? in nihilo. Nunc autem exsisto ; ergo ex nihilo eductus sum. Atqui ratio et fides docent nihil posse educi e nihilo nisi per sapientiam infinitam, per infinitam potentiam. Solus Deus est infinite sapiens et potens ; ergo solus Deus me extraxit e nihilo, et id fecit *libere*, id fecit ex *amore*. Ergo sum *res Dei*.

2° Et qualem me fecit? Fecit me *imaginem suam*. An hanc imaginem non deturpavi peccatis meis?... Fecit me *templum suum*. An hoc templum non adimplevi sordibus? An ex eo non expuli creatorem meum?... Fecit me *spiritualem*. An non visus sum adhærere materiæ?... Fecit me *immortalem*. An non soleo ita cogitare, loqui, agere, quasi vita immortalis pro me non exsisteret, totus intentus rebus vitæ præsentis?... Fecit me *capacem felicitatis æternæ et perfectæ*. An non soleo *infimis* inhærere? An non videor contentus felicitate manca, caduca, limitata?

3° Ad quid me fecit? Ad *gloriam* suam et ad meam *felicitatem*. Atqui Dei gloria et mea felicitas est ut *laudem* Deum quantum possum, ut Deum *reverear* semper et ubique, ut Deo *serviam* fidelissime, et ut hæc faciendo salvam faciam animam meam.

An sufficienter *laudo* Deum, cogitatione, affectu, sermone et opere?

An sufficienter *revereor* Deum ubique præsentem, præsertim in ecclesia, in altari?

An sufficienter *servio* Deo, ejus voluntatem adimplendo per omnia?

An sat *serio adlaboro* ad salutem et ad sanctificationem animæ?

IIum PUNCTUM. — Quo vado?

Vado in domum æternitatis meæ.

1° Quænam est hæc domus? Aut *cœlum* aut *infernus*... Conabor intelligere quanto intervallo distent inter se hæ duæ domus æternæ.

Quid est *vivere in perpetuum* in domo *bonæ* æternitatis?

Quid est *pati in perpetuum* in domo malæ æternitatis?

Attamen ibo in unam ex his domibus. Meum est eligere dum vivo in terris: «Optio vobis datur, eligite.» (Jos., XXIV, 15.)

Sine dubio eligam domum bonæ æternitatis.

2° Sed eligere hanc domum, practice es

fideliter Deum laudare, eum revereri, eique servire.

Hæc electio *maximi* sane est *momenti*, pendet enim ab ea æternitas mea. Hæc electio *personalis* est, est etiam *urgens*, nam incertum est tempus et breve.

III^um^ PUNCTUM. — **Ubi sum?**

Sum in terra.

Quid est terra? Est locus exsilii, est lacrymarum vallis, est locus laboris et doloris. Ergo *exsul* sum. Exsulis est non adhærere terræ alienæ, sed anhelare ad patriam.

An talis est mea animi dispositio? An cum sancto Paulo sincere cupio dissolvi et esse cum Christo? An ingemisco cum sancto Ignatio dicens : « Quam sordet mihi tellus, dum cœlum suspicio? » An vivo ut exsul in terra, nullo modo rebus terrenis adhærens?

O Domine, ego volo deinceps vivere non *exsilio*, sed *patriæ*, non rebus *præsentibus* sed *futuris*. Volo esse totus tibi, te laudando, te reverendo, tibi serviendo, te super omnia diligendo.

## EXAMEN.

### Circa humilitatem sacerdotalem.

Quot premor stimulis ad desiderandam, ad quærendam omni conatu virtutem humi-

litatis! Sed quis stimulus magis urger quam ipsa Christi Domini exhortatio « Discite a me quia mitis sum et humil corde? »

Quænam est mea humilitas?

1° An humilis sum *mente?* An non fr quenter mente volvo cogitationes de *me*, d *meis* talentis, de meritis *meis*, de *mea* glori de injuriis acceptis?

2° An humilis sum *corde?* An non n mium mihi est desiderium me efferen coram aliis, me promovendi ad altiora An non avidius appeto munera speciosior dignitates, applausus, famam, æstimatio nem?

3° An humilis sum *ore?* An non faciliu meipsum laudo, exalto? An non jacto me opera, res meas prospere gestas? An accu satus non facilius me excuso, me defendo An non facilius conqueror de oblivion mei, de negligentia aliorum erga me, de de fectu reverentiæ, læsione honoris?

4° An humilis sum *opere?* An non gesti captare æstimationem aliorum, laudes, gra tulationes? An non quæro magis meam gl riam quam gloriam Dei? An non propte aliquam humiliationem facilius cado anim

5° Quomodo me habeo relate ad tres gra dus humilitatis, tantopere commendatos magistris vitæ spiritualis?

*a*) An habeo *primum* gradum, qui co

sistit in hoc ut paratus sim mori potius quam committere vel unum peccatum mortale?

*b*) An habeo *secundum* gradum, qui consistit in hoc ut paratus sim mori potius quam deliberate committere peccatum veniale?

*c*) An saltem adspiro ad *tertium* gradum, qui consistit in hoc ut cæteris paribus, desiderem et eligam potius opprobria quam honores, ad habendam majorem similitudinem cum JESU opprobriis saturato?

An ut Sancti, gaudeo de meis humiliationibus?

Quam felix sacerdos qui ad hunc gradum humilitatis pervenerit! Paradisum habet jam in terris.

# RECOLLECTIO XXI.

## PRIMA MEDITATIO.

De imitatione sancti Joseph.

1. Præl. Videamus sanctum Joseph in domo Nazarethana cum Jesu et Maria orantem et laborantem.

2. Præl. Petamus gratiam imitandi sanctum Joseph per omnia.

Nullus est magister vitæ spiritualis qui non doceat, optimam rationem probandi suam erga aliquem sanctum pietatem esse ipsius in virtutibus colendis imitationem.

Perfecta igitur erit nostra erga sanctum Joseph devotio, si eum diligenter imitari sategerimus in relationibus nostris erga Deum,

erga Puerum Jesum,
erga Beatam Virginem Mariam,
erga Sanctos Angelos,
erga homines quibuscum vivimus.

### Ium Punctum.

Qualis fuit sanctus Joseph erga *Deum?*

1° In Deum credebat... in Dec

sperabat... Deum super omnia, toto corde, tota mente, totis viribus diligebat.

2° Et quia Deum sincere diligebat, omnia ejus præcepta fidelissime observabat.

3° Semper et in omnibus vitæ eventibus Deo submissus erat, et plenissime se ipsius paternæ Providentiæ committebat.

4° Tandem in omnibus, in parvis et in magnis, in prosperis et in adversis, Deo placere studebat, et quidquid Deo displiciturum sciebat, sedulo vitabat, non ex timore, sed ex purissimo amore.

An ego talis sum erga Deum?... An in eum firmiter credo?... An in eo firmiter spero?... An eum super omnia diligo?... An me committere soleo ipsius divinæ voluntati... ipsius Providentiæ?... An sedulo vito ne ei displiceam?... An quæro ei per omnia placere?... Utinam cum veritate dicere valeam : « Deus meus et omnia! »

II^um^ Punctum.

Qualis fuit erga *Puerum Jesum?*

1° Eum considerabat ut pretiosissi-

mum depositum sibi a Deo commissum. Eum igitur amabat, et quo amore!

2° Se totum tradidit in bonum istius Parvuli. Quot labores, quot ærumnas pro eo ex toto corde sustinuit!

3° Ut eum a furente Herode submoveret, non dubitavit subire longum et grave exsilium.

4° Quanta sollicitudine eum nutrivit! Videamus sanctum Joseph laborantem, sudantem, fatigatum... Sed ad renovandas vires et ad resumendos animos satis est ei ut conjiciat oculos in hunc amantissimum Parvulum... Quam libenter laborabat ad nutriendum dilectissimum Filiolum!

Quanta est nostra felicitas! Licet enim nobis idem præstare quod præstiti sanctus Joseph! Dixit Jesus : « Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. » (Matth., xxv, 40.) Ergo parvulos nobis a divina Providentia commissos, sive in parœcia, sive in scholis, diligamus ut depositum pretiosissimum ; nos in eorum bonum impendamus ; omni conatu eos eripiamus e faucibus dæmonis

eos diligenter nutriamus cibo spirituali ad vitam æternam. « Qui ad justitiam erudiunt multos, [fulgebunt] quasi stellæ in perpetuas æternitates. » (Dan., XII, 3.) Quæ mihi cura est puerorum ? An eis præeo exemplo, mea gravitate, modestia, patientia, pietate, meo modo tractandi res sacras, modo me signandi signo crucis, modo me habendi coram Sanctissimo ?

III^um^ PUNCTUM.

Qualis fuit erga *Mariam ?*

1° Summe eam æstimabat. Sciebat enim eam esse *filiam* Dei, *matrem* Dei, *sponsam* Dei. Sciebat eam immaculatam, opus æterni consilii. Propterea ingenti eam prosequebatur veneratione interius et exterius.

2° Se totum impendit pro ea, pro ea laborando, pro ea consumendo vires, immo et vitam.

3° Eam protegebat, omne periculum amovens ab ea.

4° Sollicite vitabat quidquid ei aliquid tristitiæ parere potuisset et omnem occasionem arripiebat eam consolandi.

Quam felicem me æstimarem, o Maria, si me, sacerdotem tuum, invenires tuo Joseph simillimum quoad pietatem erga te, quoad zelum gloriæ tuæ, quoad desiderium tibi placendi per omnia. Fac, o optima Mater, ut saltem non patiar me sacerdotem a laicis superari in modo te colendi, in modo te amandi. Cum sancto servo tuo Joanne Berchmans gaudeo dicere : « Non sum securus, nisi habeam verum et filialem affectum erga Beatam Virginem. »

IV^um^ PUNCTUM.

Qualis fuit erga *Angelos ?*

1° Angelos recreabat sua puritate, sua humilitate, sua patientia. Angeli enim creduntur singulariter diligere homines castos, humiles, patientes.

2° Venerabatur eorum præsentiam non ignorans ubique esse angelos et se angelorum corona circumcinctum.

3° Committebat se curæ eorum cum ingenti fiducia.

Angeli vicissim Joseph juvabant eum protegebant, eum consolabantur, eum tribulatum sustinebant, cum

orante orabant, cum laborante laborabant.

Si frequentius cogitarem angelum custodem mihi esse præsentem ubique, me ab illo vehementer amari, illumque ad me adjuvandum esse paratissimum, sane cum majore fiducia ad eum recurrerem in omni mea necessitate et ab eo egregie in omnibus adjuvarer.

Vum Punctum.

Qualis fuit erga *homines?*

1° Omnes aspiciebat oculo fidei. Considerabat unumquemque hominem ut *creaturam* Dei, ut *imaginem* sanctissimæ Trinitatis, ut *templum* Spiritus sancti. Hinc æstimatio quam probabat et sermone et operè.

2° Compatiebatur eorum miseriis ; didicerat enim diuturna experientia hanc terram esse locum laboris et doloris, veram lacrymarum vallem.

3° Læsus, generoso animo injurias condonabat.

4° Angelum pacis se constituerat inter concives suos ; non raro ut agnus versabatur inter lupos.

Qualis solet esse mea ratio agendi cum hominibus inter quos vivo ? An conor, ut S. Joseph, omnibus prodesse, omnes, quos possim, juvando, sublevando, consolando ? An, ut S. Joseph, angelus sum pacis, agnus inter lupos ? « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. » (Matth., v, 9.)

## ALTERA MEDITATIO.

### De morte S. Joseph.

1. Præl. Nobis repræsentemus S. Joseph medium inter JESUM et Mariam suavissime efflantem animam.

2. Præl. Petamus gratiam mortis morti S. Joseph simillimæ.

Mors S. Joseph fuit pretiosissima, gloriosissima, jucundissima.

Mors S. Joseph fuit *pretiosissima.*

### Iᵘᵐ PUNCTUM.

1° Ob meritum *virtutum* exercitarum. Omnes virtutes exercuerat, et quidem in summo gradu perfectionis. Mente recolamus admirabilem ipsius puritatem... paupertatem... obedientiam... pietatem... humilitatem... animi fortitudinem... prudentiam... caritatem.

2° Ob *officium* fideliter impletum, cum purissima intentione, cum generosa virium applicatione, cum invicta constantia.

3° Ob spem certam *mercedis;* unice enim intenderat mercedem æternam, non vanam, non caducam, non transitoriam.

Quam prudenter usus est S. Joseph vita brevissima! Ejus prudentiam imitemur, incumbendo studio virtutum solidarum, implendo officium, quærendo mercedem æternam.

II^um^ PUNCTUM.

Mors S. Joseph fuit *gloriosissima.*

1° Ob præsentiam *angelorum.* Tam intimum erat inter S. Joseph et angelos commercium, dum vivebat, ut dubitare non fas sit, quin morienti adfuerint.

2° Ob præsentiam *Jesu* et *Mariæ*, qui ipsi *adstiterunt* et animam ejus impleverunt ineffabili consolatione. Quam gloriosum ipsi fuit mori in osculo Domini!

Utinam et nos per vitam familiaritate fruamur angelorum, utinam familiaritate JESU, Mariæ et Joseph! Tunc enim spes erit ut nos tantorum amicorum præsentia recreemur eo momento a quo pendet nostra æternitas.

III^um^ PUNCTUM.

Mors S. Joseph fuit *jucundissima.*

1° Ob pacem animi qua gaudebat. O

quanta jucunditas testimonium bonæ conscientiæ !

2° Ob recordationem laborum, tribulationum, ærumnarum, quæ admirabili patientia sustinuit per tot annos pro gloria Dei et pro salute animarum.

3° Ob conformitatem voluntatis cum voluntate divina. Singulariter delectabatur S. Joseph hac cogitatione, nihil sibi accidere nisi Deo volente, et Deum, infinite bonum, nihil velle nisi quod sciat servis suis quam maxime expedire. Experientia jucundissima didicerat diligentibus Deum omnia cooperari in bonum ; quo autem ardore Deum diligebat !

Concede mihi, Domine, ut et ego sacerdos in hora mortis haurire valeam jucunditates meas ex iisdem fontibus ex quibus suas hausit S. Joseph.

Fac ut, dum vivo, ordinem conscientiam meam quam optime, et in posterum nullum jam committam peccatum voluntarie. Fac ut libenter me videam obrutum laboribus et ærumnis, siquidem vates tuus regius dixit : « Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. » (Ps. XCIII, 19.) Fac ut nihil præter tuam sanctissimam voluntatem videar desiderare et quærere, ita ut me semper et in omni vitæ eventu totum tradam tuo divino beneplacito. Amen.

## EXAMEN.

Circa pietatem nostram erga S. Joseph.

Qui vere devotus est erga aliquem sanctum eum *honorat*, eum *invocat*, eum *imitatur*.

I. An *honoro* sufficienter S. Joseph ?

1° An singulis annis ipsius celebro festum quam ferventissime ?

2° An jam assuevi totum mensem Martium in ejus honorem impendere ?

3° An singulis hebdomadis deputo feriam IV ad ejus specialem cultum ?

4° An singulis diebus, mane et vespere, ipsi fiducialiter commendo omnes res meas meaque opera, tristia et læta, prospera et adversa ?

5° An identidem mente revolvo meditando *ejus gaudia* et *dolores ?*

6° An non negligo legere libros de vita atque virtutibus ejus tractantes ?

7° An studiosus sum ipsius cultus propagator ?

8° An cum zelo dirigo consociationem in ejus honorem institutam ?

9° An curo ut in ecclesia mea vel in sacello splendeat effigies S. Joseph decens et decora ?

II. An *invoco* S. Joseph ?

1° Frequenter ?

2° Cum fiducia ?

3° In omni necessitate temporali et spirituali ?

4° An invoco S. Joseph ut eum invocabat S. Theresia, quæ fatebatur nihil se unquam petivisse a suo Patre amantissimo quin id plenissime obtinuerit ?

III. An *imitor* sufficienter S. Joseph ?

Ipsius admirabilem vitam sic breviter possumus describere :

1° fuit contentus sua sorte ;

2° fuit justus erga omnes.

1° An ego contentus sum mea sorte ? An non murmuro de exiguitate muneris, de exiguitate fortunæ, de exiguitate æstimationis ?

2° An ego justus sum erga Deum, erga superiores, erga alios sacerdotes, erga subditos, erga parochianos, erga pueros, erga pauperes, erga ægrotantes, erga moribundos?

An nullus merito conqueri posset quod a me, suo pastore, negligatur ?

An custodivi vineam meam ?

# RECOLLECTIO XXII.

## PRIMA MEDITATIO.

De institutione S. Eucharistiæ.

1. Præl. Vivide nobis repræsentemus JESUM, in ultima Cœna instituentem sanctam Eucharistiam, et conferentem Apostolis dignitatem sacerdotalem.

2. Præl. Petamus gratiam intelligendi *quantum* sit donum sancta Eucharistia, et *quomodo* sacerdos tanto dono uti debeat.

Consideremus :

1° Amorem JESU, sanctam Eucharistiam instituentis ;

2° dignitatem sacerdotis ;

3° obligationes sacerdotis pro tanto dono et pro tanta dignitate.

### Ium PUNCTUM. — Amor Jesu.

Magnitudo amoris erui debet ex magnitudine *beneficii* quod nobis confertur in SS. Sacramento Eucharistiæ. Magnitudo autem beneficii dignoscitur ex *re* quæ datur, ex *modo* quo datur, ex circumstantiis *temporis* quo datur et ex *fine* ad quem datur.

1° *Res* quæ datur est Corpus et Sanguis Christi!... est Christus totus! Nihil sane majus esse potest.

2° *Modus* quo se dat JESUS, est amore plenus... Ad hoc intelligendum sufficit in memoriam revocare admirabilem sermonem quem habuit JESUS in ultima Cœna.

3° Circumstantiæ *temporis :* cum jam multa beneficia ingrato animo fuerant ab hominibus accepta et neglecta... instante passione... prævisa Apostolorum defectione... prævisis innumeris injuriis quibus affici debebat JESUS in amoris Sacramento.

4° *Finis* quem intendebat JESUS, triplex erat :

*a*) Ut maneret nobiscum tamquam *socius exsilii; b*) ut tamquam *victima* singulis momentis et ubique terrarum placaret nobis iram Dei ; *c*) ut nobis esset vere *cibus* et *potus*.

Ergo, o mi JESU, propter nos et propter nostram salutem instituere voluisti hoc tale et tantum Sacramentum, quo nullum majus aut melius, aut nobilius, aut venerabilius esse potest. Totum te

in usus nostros impendere voluisti. Ex toto corde gratias ago tibi pro hac tua infinita benignitate. Conabor tibi, o mi JESU, dare certa argumenta *grati animi*, vitando sedulo quidquid tibi in Tabernaculo commoranti posset displicere, et faciendo quidquid intellexero tibi placiturum.

II^um^ PUNCTUM. — **Dignitas sacerdotis.**

Consideremus quam *magnus*, quam *dives* sit sacerdos.

1° *Magnus.* Datur enim sacerdoti potestas conficiendi *Corpus* et *Sanguinem* D. N. J. C. Amplius dici non potest. Sacerdos pauca tantum verba profert ; et ecce panis et vinum convertuntur realiter et substantialiter in Corpus et Sanguinem Domini. Quid sublimius? Quis ego sum, o mi JESU, ut dignatus sis me ad tantam dignitatem evehere ? Utinam tantæ dignationi respondissem !

2° *Dives.* Etenim JESUS, seipsum tradens manibus sacerdotis, tradit fontem omnium bonorum pro eo et pro tota Ecclesia. O sacerdos, dum celebras

missam, manibus tenes illum qui sanabat ægrotos, mortuos ad vitam revocabat, languidos roborabat, afflictos consolabatur, convertebat peccatores.

Quomodo hucusque usus sum tanto thesauro? Utinam major mihi esset fides, major fiducia! Quot et quantas divitias depromerem quotidie ex hoc fonte gratiarum!

III^um^ Punctum. — Obligatio sacerdotis.

Omnes obligationes sacerdotis ad hanc unam reducere possumus, ut scilicet fungatur suo sacerdotio *digne* et *sancte*. Id præsertim præstare debebit dum stat ad altare. Atqui digne et sancte stabit ad altare sacerdos, si missam celebrare consuescat ita ut appareat in *gestibus gravitas*, in *verbis ardor*, in *mente affectus*.

1° In gestibus gravitas.

« Quod fit in actionibus politicis, v. g. cum rex coronatur, cum legatus introducitur, id fieri debet in actionibus religiosis et maxime in administratione Sacramentorum ; nempe ut observentur *cæremoniæ* per quas et in *agentibus*

et in *spectantibus*, pro actione tam sancta, excitetur attentio, æstimatio, reverentia. Hoc autem fit si isti ritus sanctissimi exerceantur sine gesticulationibus mimicis. Dum sacra facimus, exhibemus Christi personam in ultima Cœna hoc Sacramentum conficientis. Recordabor igitur quæ agentis *majestas* fuerit ! O sane nulla præcipitantia, nulla levitas, sed totius corporis *compositio* ostendebat animum affixum mysterio, devotioni intentum. » (Fr. Neumayr.)

2° Ardor in verbis.

Plurimum adjuvat sensum devotionis recta *pronuntiatio*. Nimirum sacerdos syllabas ne truncet ; quasdam autem voces, præ aliis idoneas affectui, eloquatur cum singulari reflexione ad sensum. Sic, quoties dicit : « Dominus vobiscum, » occasio est exercendi actum caritatis erga populum, illique in temporalibus et spiritualibus cum tenero affectu patris ad filios bene precandi. Juvat quoque paulo lentius et attentius dicere hæc verba ante communionem : « Fac me tuis semper inhærere mandatis, et a te nunquam separari permittas ! »

Ibi enim occasio est postulandi gratiam perseverantiæ finalis, quam *exorare* possumus, *mereri* non possumus.

3° Affectus in mente.

Consideremus qualis fuerit affectus apostolorum cum in ultima Cœna sacram communionem e manibus ipsius Christi reciperent, et qualis fuerit affectus Beatissimæ Virginis, cum a dilecto Filio jam separata, quotidie ad sacram Mensam accederet. Quam viva fides et exinde quam fervens amor! Quanta humilitas et quanta reverentia!

« Esto mihi propitius, Jesu bone, dulcis et benigne, et concede pauperi mendico tuo, vel interdum modicum de cordiali affectu amoris tui in sacra communione sentire, ut fides mea magis convalescat, spes in bonitate tua profi ciat, et caritas semel perfecte accensa, et cœleste manna experta, nunquam deficiat. » (*Imit. Chr.*, L. IV, c. XIV.)

## ALTERA MEDITATIO.

### De cruce D. N. J. C.

1. Præl. Visu imaginationis montem Calvariæ intueamur, circumcirca turbam

hominum, et divinum Salvatorem cruci affixum, inter cœlum et terram elevatum.

2. Præl. Humillime rogemus Deum intimam compassionem cum crucifixo Salvatore nostro ; sed et ingentem dolorem de peccatis nostris quæ tantæ passionis causa sunt.

Oculis boni sacerdotis JESUS in cruce est:
Magister,
Judex,
Rex.

### Iᵘᵐ PUNCTUM. — JESUS in Cruce est Magister.

1. Qualis Magister? Omnium nobilissimus, sapientissimus, amantissimus, desiderans ardenter progressum discipulorum suorum. De ipso dixit Pater æternus : « Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui ; ipsum audite. » (Matth., XVII, 5.)

2. Quis discipulus? Ego. An discipulus *docilis* sum atque *attentus?* An ardens mihi desiderium discendi veritatem et scientiam Sanctorum?

3. Quid docet JESUS?

*a) Malitiam peccati.* Quotiescumque aspicio crucem, dicere debeam : en opus meum! Utinam aspectus crucis in memoriam revocet, me debere peccatum *odisse*, peccatum *timere*, peccatum *vitare!* Utinam quoties-

cumque ceciderunt oculi in crucem, dicam toto corde : O Domine, millies mori potius, quam semel fœdari !

*b) Amorem Dei erga nos.* De Patre suo dixit JESUS : « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. » (Joann., III, 16.)... Et de JESU dixit Paulus : « Dilexit me et tradidit semetipsum pro me. » (Galat., II, 20.) Quomodo igitur aspicere potero crucem, quin sentiam in me augescere desiderium redamandi eum qui tantopere me dilexit ?

*c) Pretium tribulationis.* Quare adeo dilexit JESUS crucem suam ? Quia sciebat se per crucem, majorem daturum gloriam Patri suo quam omni alia ratione ; se per crucem intraturum in gloriam suam ; se per crucem, tamquam per divinam clavem, electis suis clausurum portas inferni et aperturum januam cœli.

O mi JESU, volo deinceps summopere æstimare omnem tribulationem quam mihi immiseris, eamque perferam non solum patienter, sed et libenter, immo et jucundissime ad morem Sanctorum.

II^um^ PUNCTUM. — **JESUS in cruce est Judex.**

1° Quis Judex ? Omnium integerrimus, sapientissimus.

2° Quomodo judicat nos ? S. Bernardus,

contemplans crucifixum, mente legebat voces quinque sanguineis litteris exaratas, quæ utinam appareant nobis! Hæ porro erant: supra caput JESU *paupertas;* sub pedibus ejus *humilitas;* ad manum sinistram *patientia;* ad manum dexteram *obedientia;* ad latus lancea apertum *caritas.* Ergo de cruce sua JESUS, pauperrimus, condemnat nimium nostrum amorem divitiarum et nimiam sollicitudinem rerum hujus vitæ. JESUS, opprobriis saturatus, condemnat nimium nostrum amorem æstimationis hominum. JESUS, patientissimus, condemnat nimiam nostram impatientiam et in rebus adversis pusillanimitatem. JESUS, obedientissimus, condemnat nostrum nimium libertatis amorem. JESUS, tradens se et moriens ex amore nostri, condemnat in nobis quidquid est contrarium caritati.

Laudabilis est praxis se sistendi, tempore examinis, ad pedem crucifixi, et humiliter interrogandi Judicem, de cruce peccata nostra condemnantem, et nos ab eis absolventem.

### III^um^ PUNCTUM. — JESUS in Cruce est Rex.

JESUS in Cruce Rex est, et quidem Rex regum, Dominus dominantium. Sed rex est *misericordiæ.* Ecce, ait S. Augustinus, Salvator noster caput suum inclinavit in morte

ut oscula daret dilectis suis. Brachia extendit ut eos amplectatur. Cor exhibet apertum ut eos in illo abscondat. Tacitus de cruce clamat : Venite ad me omnes... et ego reficiam vos. Alliciat vos crux mea, est summopere desiderabilis. In illa delicta vestra tuli ; in illa redemptionem vestram operatus sum ; in illa Patrem rogavi pro crucifigentibus et pro vobis ; in illa latroni pœnitenti paradisum spopondi ; in illa Mariam Matrem tradidi ; in illa omnia quæ de me scripta sunt consummavi, animam meam in manus Patris mei commendavi.

« Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. » (Heb., IV, 16.)

## EXAMEN.

Circa pietatem nostram erga S. Eucharistiam.

1° Qualis est mea *reverentia ?*

*a*) In modo genuflectendi ; *b*) in modo Missam celebrandi ; *c*) in modo deferendi S. Sacramentum ; *d*) in omni cæremonia quæ cum S. Eucharistia relationem habet ?

2° Qualis est mea *sollicitudo* de honore tanto Hospiti debito ?

An mihi cura est de munditia Tabernaculi, vasorum sacrorum, linteorum, corporalium, vestium sacerdotalium, et totius ecclesiæ ?

An mihi cura est de supellectili, ut procurem quam possim meliorem? An supellectilem comparatam conor *conservare* in optimo statu?

An mihi cura est de inservientibus ad altare, ut bene respondeant, modeste se teneant, decenter vestiti appareant?

An mihi cura est de cantu, de organo, ut omnia pia sint et adjuvent devotionem fidelium?

An mihi cura est de lampade, ut nunquam extincta maneat per aliquod tempus?

3° An conor promovere devotionem erga S. Eucharistiam, me facilem præbendo pro distributione communionis, faciendo omnia officia divina *tempore statuto* et cum *omni diligentia?*

An mihi singularis cura est de communione ægrotantium, ne diutius maneant privati hoc cibo divino?

4° Qualis est meus *fervor: a*) dum exponitur S. Sacramentum; *b*) dum celebro missam; *c*) in actione gratiarum; *d*) in visitatione Sanctissimi?

5° An habeo sanctam familiaritatem erga JESUM in Tabernaculo commorantem? An eum habeo, tracto, consulo ut *amicum* sine quo nihil volo facere, nihil moliri?

# RECOLLECTIO XXIII.

## PRIMA MEDITATIO.

### De patrocinio S. Joseph.

1. Præl. Nobis repræsentemus sanctissimum Sponsum Mariæ, de glorioso suo throno nos oculo benigno aspicientem nosque commendantem Jesu et Mariæ.

2. Præl. Petamus gratiam intelligendi quam recte et merito S. Joseph gaudeat titulo *Patroni*, et simul gratiam habendi in eo quam maximam fiduciam

Tria consideremus :

1. quid sit patrocinari ;
2. quomodo S. Joseph functus sit officio patroni ;
3. quænam sit optima ratio impetrandi patrocinium S. Joseph.

I^um^ Punctum. — **Quid sit patrocinari.**

Ad patrocinium tria requiruntur, tum ex parte patrocinantis, tum ex parte illius qui protegitur.

I. Ex parte *patrocinantis* requiritur.

1° ut *cognoscat* necessitates, pericula,

dolorem illius cui vult patrocinari. Quomodo enim necessitates sublevabit quarum et naturam et exsistentiam ignorat? Quomodo amovebit periculum, quod nescit an sit et quale sit? Quomodo lenire poterit dolorem, cujus ne ideam quidem habet? Sed hæc cognitio non sufficit ad nomen *patroni;* requiritur,

2° ut habeat in sua potestate *media* congrua sublevandi necessitates, amovendi periculum, leniendi dolorem. Neque hoc sufficit ut aliquis dicatur *patronus;* requiritur,

3° ut *velit* hæc eadem media adhibere ad finem intentum.

Itaque ut aliquis ad gloriosum *patroni* titulum merito adspirare queat, necesse est ut sit *malorum sciens, potens* et *bonus.*

Hinc intelligitur quantus patronus sit S. Joseph. Etenim:

1° *Novit* mala nostra, pericula nostra, dolores nostros. Ejus vita fuit continua tribulatio.

2° *Potens* est, nam nomine gaudet *patris* apud eum qui sua *natura* est

omnipotens, et nomine *sponsi* apud eam quæ omnipotens est *prece*.

3° *Bonus* est ; hausit sane bonitatis thesaurum ex consortio Jesu et Mariæ, qui ineffabilis bonitatis signa exhibuerunt constantissime.

Ex his omnibus habemus unde gaudeamus.

II. Ex parte *clientis* requiruntur similiter tria.

1° Requiritur ut patrono nota faciat sua mala, sua pericula. Hæc lex valet etiam apud Deum : « Qui petit accipit... » « Petite et accipietis. » Imploret igitur auxilium illius qui potest et vult ei auxiliari.

2° Requiritur ut ille qui implorat auxilium, habeat fiduciam in illo ad quem dirigit suas preces ; secus injuriam ipsi inferret diffidendo.

3° Requiritur ut exhibeat patrono animum gratum pro beneficiis acceptis. Actio gratiarum dat jus ad nova beneficia.

Excitemus in nobis *affectus* his considerationibus conformes.

IIum Punctum. — **Quomodo S. Joseph functus sit officio patroni.**

1° S. Joseph patrocinatus est sanctæ Familiæ. Eam subtraxit multis periculis, eique suppeditavit quæ ad vitam necessaria erant. Quanto cum amore, zelo, constantia, prudentia hæc duo præstitit!

2° Patrocinatus est populis. Testis est ipsum festum Patrocinii, quod sancta Mater Ecclesia instituit ex grato animo pro admirabili protectione.

3° Patrocinatur illis specialiter quos cognoverit sibi singulariter devotos, quod clarissimis verbis significavit S. Theresia.

4° Nostris diebus præsertim exercere hoc suum jucundissimum munus conspicitur S. Joseph, ut intelligitur ex Litteris summi Pontificis, quo S. Joseph nostro tempore declaratus est Patronus Ecclesiæ catholicæ.

Hinc gratus animus et fiducia ingens.

IIIum Punctum. — **Quænam sit optima ratio impetrandi patrocinium S. Joseph.**

Optima sane ratio impetrandi patrocinium S. Joseph est *imitari* ipsius

*modum* patrocinandi. Utpote sacerdotes, patroni esse debemus et nos. Constituti sumus in dignitate : habemus potentiam aliquo modo infinitam ; modo non desit nobis benignitas, erimus eximii patroni.

Patrocinemur oportet, 1° nostræ familiæ sacerdotali, auxilio, oratione et exemplo ; 2° illis quos curandos nobis commisit divina Providentia.

Faxit Deus ut hoc munus impleamus, ad exemplum S. Joseph, cum amore, zelo, constantia et prudentia !

## ALTERA MEDITATIO.

### Quid sit bene vivere.

1. Præl. Consideremus nosmetipsos in lecto doloris jacentes, jamjam morituros.

2. Præl. Petamus gratiam ita vivendi ut vita sit congrua præparatio ad mortem.

Juxta S. Augustinum, optima præparatio ad mortem est vita bona ; asserit enim non posse male mori qui bene vixerit. Atqui bene vivit qui vivit non *carni*, non *mundo*, non *sibi*, sed *Deo*.

I. Sunt sacerdotes qui vivunt *carni ;* illi scilicet qui, non serio domitis passionibus, corpori suo blandiuntur scienter et volenter,

vel nimis indulgendo sensibus... vel, ne corpus gravetur, legitimum ac debitum fugiendo laborem... vel, quotiescumque copia est, commoda corporis captando... vel molli voluntate reprimendo carnis assultus... vel, quod pejus est, carnis petulantiæ connivendo... vel, quod omnium pessimum est, se carnis mancipia præstando turpissima per consensum, plene diabolicis suggestionibus præstitum.

Sacerdos qui sic carni viveret, omnium judicio, miserrimus esset. Vita enim carnalis generat quasi proprio fonte tristitiam, tædium vitæ, languorem intolerabilem, simul corrumpit egregias dotes, corpus exhaurit, morsibus continuis lacerat animam, et tandem generat mortem.

Nostrum est fortiter refrenare ignobiles illas passiones, quas identidem præsumit resuscitare diabolus in illis qui se totos Dei servitio manciparunt.

Praxis est: 1° custodia sensuum, 2° mortificatio corporalis, 3° æstimatio practica castitatis.

II. Sunt sacerdotes qui vivunt *mundo;* ii nempe qui quærunt ea quæ sectantur mundani homines, gloriam, famam, æstimationem, primos discubitus, honores, laudes, plausus et quæcumque apparent oculis hominum.

Hi quoque miseri sunt. Ista enim:

1° difficili labore obtinentur ;
2° difficiliore labore conservantur ;
3° magno animi cruciatu amittuntur ;
4° avertunt a Deo ,
5° post se relinquunt animam inanem, vacuam, tristem, dejectam. Qui sic mundo vivit, non potest non usurpare verba Salomonis : « Vanitas vanitatum et omnia vanitas. »

Nostrum est omnia ista vana, inania et caduca contemnere et non quærere aliam gloriam quam quæ æterna est. « Qui gloriatur, in Domino glorietur. » (I Cor., I, 31.)

III. Sunt qui vivunt *sibi ;* ii scilicet qui nihil aliud quam *se* et *sua* quærunt. Amant *suam* voluntatem, *suum* judicium, *suam* utilitatem, *suam* gloriam, *sua* commoda.

Qui quærit se, tristissimum se invenit compositum nugacitatis, pusillanimitatis, inconstantiæ et miseriarum omnis generis ; nihil generosi, nihil excelsi.

Tales miseri sunt, quia soli sunt, soli manent ; res autem durissima est vivere solum. Contra bonum et jucundum est habitare fratres in unum ; sed quomodo possunt fratres habitare in unum, si unusquisque quærit quæ sua sunt ?

IV. Debemus ergo vivere *soli Deo ;* solus enim Deus nos plenissime beare potest et in hac vita et in altera. Hoc scimus, hoc prædicamus, et tamen vivimus quasi Deus nobis non sufficeret !

Videte Sanctos! Non carni blandiebantur, non inhiabant gloriæ, non sua quærebant, sed solam Dei gloriam, semetipsos oppugnando et vincendo ex amore Dei, et tamen quam felices erant! O stulti nos et tardi ad credendum!

## EXAMEN.

Circa modum celebrandi mensem Marianum.

Mensis Mariani praxis a sacerdote negligi non potest, cum sit optima ratio *restaurandi* singulis annis suam erga Mariam pietatem.

Igitur antequam hunc mensem ingrediatur, examinet se sacerdos circa ea quibus constat vera et solida pietas erga optimam Matrem, ut toto decursu mensis hæc diligentius valeat præstare.

1° An sollicite quæro omnem occasionem cultum Mariæ promovendi, sive in cathedra, sive in confessionali, sive in colloquiis privatis, de ea cum affectu loquendo... mysteria vitæ ejus admirabilis fideliter explicando... occasione festorum virtutes ejus et laudes celebrando... omnes subditos meos excitando ad ejus amorem atque generosam imitationem?

2° An videor omnes intendere nervos ut sodalitia, quæ totidem *virtutis* et *sanctitatis scholæ* dicuntur a S. Alphonso de Ligorio, in ejus honorem erigantur et erecta conserventur atque floreant?

3° An cum omni fidelitate administro confraternitates meæ curæ commissas?

4° An propago cum zelo piissimas praxes Scapularis, Rosarii, mensis Mariani et alias similes ab Ecclesia approbatas atque commendatas?

5° An studeo comparare altaribus Mariæ et sacellis supellectilem mundam et convenientem effigiemque tanta Matre dignam?

6° An in domo mea inveniuntur, ex quibus pateat omnibus domum meam ingredientibus, quanta sit mea Mariæ æstimatio, quantus amor?

7° An in specie pro mense Mariano soleo singulis diebus:

*a)* Omnia offerre Deo in honorem B.M.V., uniendo me omnibus iis operibus quæ fient illa die per totum orbem terrarum in ejus honorem, et simul exprimendo desiderium omnes homines superandi amore et pietate erga Mariam?

*b)* Offerre propositum vitandi illa die vel minimum peccatum, ut sic Mariæ puritatem imiter?

*c)* Offerre propositum omnia peragendi ita perfecte, ut ex actionibus meis possim colligere veluti fasciculum florum, quem vespere deponam ad pedes benedictæ Virginis?

*d)* Offerre propositum ordinarias preces in ejus honorem recitandi melius atque ferventius quam de more?

# RECOLLECTIO XXIV.

## PRIMA MEDITATIO.

**De iis quæ Maria exspectat a sacerdote.**

1. Præl. Repræsentemus nobis Matrem Dei, de glorioso suo solio nos propitio vultu aspicientem et benigne munera nostræ pietatis excipientem.

2. Præl. Petamus a Corde Jesu amorem erga Mariam, nostra sublimi vocatione dignum.

Pietas sacerdotis cæterorum pietate solidior esse debet atque excelsior. Talis erit ipsius pietas, si nitatur lege amoris. Atqui lex amoris duo supponit, nempe:

1° Amorem pendere magis ab operibus quam a verbis;

2° amorem consistere in mutua facultatum, rerum et operum communicatione.

Consideremus igitur quid exspectet Maria a sacerdote sibi devoto.

### Iᵘᵐ Punctum. — Exspectat Maria ut sacerdos sit alter Christus.

Maria non ignorat signum esse prædestinationis conformitatem cum imagine Filii sui; propterea vehementer

exoptat ut sacerdos suus quam maxime similis sit Filio suo.

Jesus pauper fuit... obediens... patiens... humilis... pietate plenus ; ergo desiderat Maria ut sacerdos sit et ipse obediens, patiens, humilis, vere pius.

Jesus erga *peccatores* fuit benignissimus... erga *afflictos* misericordissimus... erga *pauperes* magnificus, transiens benefaciendo... erga *inimicos* generosissimus... erga *parentes* pientissimus, sed ab eis sancte liberum se ostendens, quotiescumque agebatur de iis quæ Patris sui erant.

Talem vult Maria esse sacerdotem sibi addictum. An ego talis fui? An talis deinceps ero?

IIum Punctum. — **Exspectat Maria ut sacerdos Filium suum diligat.**

Vult Maria Filium suum amari a sacerdote amore *sacerdotali*. Jam vero sacerdotali amore diligit Jesum sacerdos, qui omni qua potest occasione Jesum prædicat, Jesum laudat, Jesu Evangelium annuntiat ejusque præcepta commendat... qui Jesum libenter

et magno cum affectu quotidie recipit hospitio per sacram communionem... qui JESUM, ut olim Maria, tractat cum summa veneratione et magna cum pietate... qui frequenter JESUM invisit in tabernaculo latentem.

Dolet Maria quod inveniantur sacerdotes, qui non nisi raro et quasi cum indifferentia de JESU loquantur, sive in cathedra, sive in confessionali, sive in privatis colloquiis. Dolet quod inveniantur qui ita leviter tractent Corpus JESU ac si tractarent rem vulgarem et abjectam. Dolet quod inveniantur qui JESUM per integros dies solum relinquant. Habent tempus invisendi amicos, tempus non habent invisendi amicum inter omnes amantissimum.

An sub hoc respectu soleo respondere exspectationi Mariæ?

III^um^ PUNCTUM. — **Exspectat Maria ut sacerdotis domus repræsentet domum Nazarethanam.**

1° In domo Nazarethana splenduit *castitas*. Quid castius JESU? Quid castius Maria? Quid castius Joseph? Castitatem spirabant affectus; castita-

tem spirabant sermones; castitatem spirabant oculi; castitatem spirabat ipse vestitus. Summa erat verecundia in hac benedicta domo; summa modestia.

Quibus oculis aspiceret Maria sacerdotem sub cujus tecto fieri videret quæ animus sacerdotalis refugit nominare?

2° In domo Nazarethana splenduit *caritas*. Ibi certe cor unum et anima una. Ibi suavissima animorum conjunctio. Caritas in mente; caritas in corde; caritas in ore. Ibi longe a labiis omnis detractio, omnis verborum durities, omnis impatientis animi significatio. Paradisus erat domus Nazarethana propter inhabitantem caritatem. Talem Maria vult esse domum sacerdotum suorum. Certe tale non esset illud presbyterium in quo audirentur altercationes vividiores et frequentiores pastorem inter et alios ejusdem domus incolas. Tale non esset presbyterium ubi frequenter audirentur verba duriora, imperiosa, cum ira prolata. Tale non esset presbyterium ubi fama proximi continue læderetur, auctoritas superiorum carperetur, crisis in confratres exerceretur.

Utinam omnes sacerdotes agnoscere posset Virgo Maria ut filios suos dilectissimos propter eximiam eorum erga *omnes* caritatem !

3° In domo Nazarethana splenduit *amor laboris*. Laborabat Joseph, in sudore vultus quærens sibi et suæ familiæ victum quotidianum. Laborabat Maria, domesticarum rerum curam agens assidue, sua opera humili servans supellectilem, eamdemque, licet valde pauperem et exiguam, munditie nitescere faciens. Laborabat ipse JESUS, spontaneo suo labore sublevans laborem Parentum suorum.

Quapropter presbyterium *otiosum* Mariæ abominatio esset. Abhorret sane ab illa sacerdotali domo ubi flocci habetur tempus, res omnium pretiosissima ; ubi teruntur horæ, immo et dies, in nugis, in confabulationibus, in lectione rerum levium atque futilium.

O Maria, ego volo tibi placere, amando laborem et laborando labore sancto, ordinato, utili, oratione et rationabili recreatione condito.

## ALTERA MEDITATIO.

### De recordatione mortis.

1. Præl. Sacerdos sibi repræsentet feretrum, continens suum corpus, et jamjam deponendum sub terram.

2. Præl. Petamus gratiam cogitandi sæpe, attente, generose de morte nostra.

S. Augustinus commonet valde utile esse frequenter cogitare de morte. « Si diem mortis tuæ, ait, ad memoriam duxeris, felix eris. » Quærit autem S. Bonaventura qua ratione felix sit ille qui diem mortis ad memoriam duxerit, et respondet :

Quia memoria mortis facit
*peccata fugere ;*
*mundum contemnere ;*
*seipsum despicere ;*
*vitam recte agere.*

### Iᵘᵐ Punctum. — Memoria mortis facit peccata fugere.

1° Idea *mortis* non potest separari ab idea *peccati.* Quærunt theologi quare peccatum grave soleat vocari *mortale*, et respondent id fieri ob quadruplicem causam : *a*) quia per peccatum mors mundum ingressa est, dicente Paulo : « Stipendium peccati mors ; » *b*) quia per peccatum quod frequentissime committitur, peccatum scilicet luxuriæ, innumeri homines præmatura

morte abripiuntur ; *c*) quia peccatum aufert ab homine gratiam quæ vita est animæ, qua sola vivit anima Deo, vivit æternæ saluti ; *d*) quia peccatum intulit mortem auctori vitæ, Christo Domino nostro.

Hæc scit sacerdos, hæc credit firmiter, nec propterea potest serio cogitare de morte quin simul cogitet de tristissima causa mortis, quod est peccatum ; cogitando vero de morte, non potest non odisse peccatum, et qui odit peccatum, peccatum fugit.

2° Tempore tentationis, quantumcumque vehemens sit tentatio et delicata, si reflecto serio me posse mori post peccatum commissum, proinde peccando exponere me periculo pereundi in æternum, hac sola cogitatione hæsito tentationique resisto fortiter. O quot sacerdotes e maximis tentationibus evaserunt victores, quod timor mortis subitaneæ eos deterruit! Utinam in omni tentatione sic cogitatio mortis nobis esset præsens ; fortiores essemus et generosiores in resistendo tentationi.

II^um^ PUNCTUM. — **Memoria mortis facit mundum contemnere.**

*Mundum* vocat S. Augustinus mundi *errores*, mundi *terrores*, mundi *amores*, e quibus sacerdos recordatione mortis se eripit.

1° *Mundi errores.* Quam sæpe errant

homines mundani in suis judiciis ! Maxima cum levitate proximum judicant, carpunt, condemnant, injuriis lacessunt, contemptu conculcant, et hæc mundanorum judicia, irrisiones, calumniæ, contemptus frequentius cadunt in viros justos, in Dei amicos, in virtutum cultores, in sacerdotes pios et sanctos. Sed qui sic contemnitur a mundo, cogitet de morte et statim intelliget hos sui contemptores brevi transituros tamquam umbram eorumque errores transituros cum ipsis. Sacerdos contemptus a mundo, prospiciens mortem, triumphabundus exclamat cum divo Paulo : « Qui judicat me, Dominus est! »

2° *Mundi terrores.* Terret nos mundus minitando privationem bonorum, privationem libertatis, privationem vitæ. Sed hæc omnia servis suis fore prædixit Dominus JESUS, et in nostram consolationem addidit : « Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam ; ita dico vobis, hunc timete. » (Luc., XII, 4, 5.)

3° *Mundi amores.* Mundi amores sunt illæ tres concupiscentiæ a quibus nobis cavendum esse monet S. Joannes : concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vitæ.

O quot sacerdotes mundo incauti victas manus dederunt, et propterea salutis æternæ naufragium fecerunt! Utinam cogitavissent de sua morte, dum mundus eis sua delectamenta offerebat; ea forti voluntate a se abjecissent. Utinam tunc in memoriam revocassent quod narrat Dominus de divite epulone. «Erat, ait, quidam dives; induebatur purpura et bysso; epulabatur quotidie splendide... mortuus est et sepultus est in inferno.» Profecto hæc verba Salvatoris recordantes in mundanas delicias se non immersissent.

III^um^ PUNCTUM. — **Memoria mortis facit seipsum despicere.**

Forsan tentatur sacerdos vanitate propter egregia sua talenta, propter suam scientiam, suam auctoritatem, famam hominumque æstimationem, propter munera sua atque dignitates. Serio reflectat hæc omnia brevi delenda esse morte, et cessabit tentatio.

Forsan tentatur ad gloriandum de viribus suis, de dotibus suis corporeis, de sua venustate, de valetudine sua. Cogitet serio et hæc omnia morte destruenda esse. Cogitet serio quale futurum sit corpus suum paulo ante mortem, in morte, post mortem. Qualis mutatio! Quam horrenda! Quis sacerdos, repræsentans sibi vermes, putredi-

nem, ossa arida, cinerem fœtentem horribiliter, non semetipsum summopere despiciet?

IV^um^ PUNCTUM. — **Memoria mortis facit vitam recte agere.**

Testatur Spiritus sanctus desolatione desolatam esse terram, quia nullus est qui recogitet corde. Utinam hoc effatum Spiritus sancti non respiceret sacerdotes ! Sed quod lugendum sane, nonnulli inveniuntur qui non recte agant vitam, et id quidem quia non sibi persuadent se aliquando migraturos in domum æternitatis suæ. Si sibi persuasum haberent se morituros... se morituros brevi... se posse mori subito... se semel tantum morituros... et semel periisse æternum esse... a vita hac brevi suam pendere æternitatem... mortem esse echo vitæ... non posse male mori qui bene vixerit ; sane cautius viverent, viverent ferventius, viverent sanctius.

Felices nos sacerdotes, quod cogimur quasi continue de morte cogitare ! Adstamus moribundis, morientium preces recitamus, mortuos aqua lustrali et thure honoramus, defunctorum exsequias celebramus, cadavera mortuorum inter lacrymas cognatorum ad locum sepulturæ comitamur, missam de *Requiem* frequentissime legimus et officium defunctorum psallimus. Omnia

nobis loquuntur de morte. An hanc vocem mortis attenta aure percipere assuevi? An inde aliquem fructum colligere satago?

## EXAMEN.

### Circa recordationem mortis.

I. An frequens recordatio mortis me fecit fugere peccata?

1° An mense præterito peccavi rarius, minus deliberate, minus malitiose?

2° Quodnam peccatum sæpius confiteri debui?

3° Quodnam peccatum veniale facilius committo?

4° An in tentatione vehementiore soleo cogitare de morte subitanea quæ posset sequi peccatum, si peccatum commisero?

5° An non est aliquid in conscientia quod posset me torquere in hora mortis?

II. An me juvi recordatione mortis ad contemnendum mundum?

1° An non pluris æquo facio judicia humana? An non facilius turbor, animo dejicior propter minorem opinionem quam aliquis habet de me? An non nimis timeo hominum oblocutiones, crisim, improbationem?

2° An non facilius commoveor si contigerit pati aliquod detrimentum in rebus meis temporalibus? An non est mihi nimia sollicitudo de procurandis mihi rebus ad vitam necessariis?

3° An non indulgeo nimis oblectamentis hujus vitæ? An nihil superflui in mensa, in vestitu, in lecti ratione?

III. An soleo pugnare contra superbiam recordatione mortis?

1° An non assuevi me directe vel indirecte jactare?

2° An non videor alios despicere?

3° An non indulsi femineæ vanitati nimio cultu crinium et corporis ornatu?

IV. An recte me vivere fecit memoria mortis?

1° An ita vivo ut sperare possim meam mortem futuram pretiosam in conspectu Domini?

2° An generatim ago fideliter, ferventer, constanter, cum recta intentione?

3° An ita facio unamquamque actionem ut ultima esse possit vitæ?

4° An hic et nunc ita dispositus sum ut, si deberem mori hodie, cum veritate dicere possem: « Ecce paratus sum? »

O JESU, da gratiam ita recordandi mortis per hunc mensem, ut fugiam omne peccatum... ut contemnam mundum mundique vanitates... ut memetipsum despiciam et fiam vere humilis corde... ut recte incipiam vivere, ferventer, sancte, fructuose.

Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, et hora mortis suscipe!

# RECOLLECTIO XXV.

## PRIMA MEDITATIO.

### De sancto Joanne Berchmans.

1. Præl. Videamus S. Joannem Berchmans in cœlo triumphantem et Beatæ Mariæ Virgini gratias agentem pro admirabili ipsius protectione.

2. Præl. Petamus a Beata Maria Virgine ut dignetur ita nos protegere ut ipsi perveniamus ad sanctitatem.

Non possumus brevius et clarius describere vitam S. Joannis Berchmans quam dicendo : vivens latebat mundo ; vivens fulgebat cœlo.

I^um^ PUNCTUM. — **Vivens latebat mundo.**

Sive consideremus *natales* S. Joannis, sive consideremus ejus *vitæ conditionem*, sive consideremus *opera* quæ fecit, nihil se offert nobis unde soleant homines apud alios clarescere. Natus a parentibus honestis quidem, sed non magnæ pecuniæ, non magnæ dignitatis; indiguit subsidio caritatis ut posset studiis humanioribus vacare. Immo non erubuit, ut apud omnes notum

est, tempore studiorum, alicui pio sacerdoti famulatum humilem exhibere, ad comparanda sibi necessaria.

Ingressus novitiatum Societatis Jesu Mechliniæ, sanctus juvenis inter occupationes novitiorum transiit quasi vix perceptus, et paulo post Romam missus, ex oculis popularium suorum prorsus evanuit.

Romæ autem, inter numerosissimos sodales, studiis philosophicis vacans, nulla re extraordinaria ab illis distinguebatur, et sic, longe a patria, vitam ducens absconditam in Christo, pervenit ad mortem, scholasticus Societatis Jesu, in Societate nullam nactus dignitatem, nullo functus officio speciosiore, numerans vix annos viginti duos a nativitate.

Quam simplex, quam exigua, quam obscura hæc sancti nostri vita in oculis cœvorum!

II^am^ Puncтum. — **Vivens fulgebat cœlo.**

Hic non possumus non in memoriam revocare quod unusquisque nostrum multoties legit in I lib. Reg. XVI.

Jussus a Deo Samuel unum e filiis Isai ungere in regem, vidit Eliab, natu majorem, et dixit: « Num coram Domino est christus ejus? » Et dixit Dominus ad Samuelem: « Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum; nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor. » Adducti sunt ad Samuelem sex alii filii Isai, et dixit Samuel ad Isai: « Non elegit Dominus ex istis. » Adductus est tandem David natu minimus, et ait Dominus: « Surge, unge eum, ipse est enim. » Cum igitur filii Isai apparerent oculis hominum propter varias qualitates quas magni facere assueverunt, parvulus David in pascuis commorabatur absconditus; sed latens oculis hominum, fulgebat oculis Dei.

Sic S. Joannes Berchmans a pueritia jam oculis cœlicolarum fulgebat admirabili *puritate*... fulgebat admirabili *pietate*... fulgebat admirabili *simplicitate*... fulgebat admirabili *sapientia*. Jam tunc in cœlo *puer* proclamabatur sanctus, magnus sanctus.

Sed multo majori fulgore splenduit cœlo *adolescens*, primum in collegio Mechliniensi, deinde in Societate Jesu.

Sane de cœlo sancti et angeli cum admiratione prospiciebant amabilem juvenem, per omnia, semper et ubique dantem maximæ *generositatis* specimina.

Videbant eum generosum *erga Deum* et quidem 1° per exercitia spiritualia. Quam fideliter, quam ferventer, quam fructuose illa obibat! 2° Per *victorias* de semetipso relatas, propter amorem Dei, ut observaret accurate regulas suas. 3° Per *silentium* atque *modestiam* oculorum, ut continue de Deo suo ubique præsenti cogitaret.

Videbant eum generosum *erga superiores*, eis obediendo perfectissime, semper et in omnibus rebus; eos consulendo omni modo; ipsis fidendo, ut Dei vices gerentibus.

Videbant generosum *erga fratres* et *socios*, supportando defectus eorum; eos ædificando, eos cum summa caritate recreando. Videbant eum omnia omnibus factum.

Ex hac consideratione colligitur fructus omnibus nobis jucundissimus, dum perspicimus vitam obscuram et absconditam, quam forsan ducere cogimur, minime obstare quin et nos fulgeamus cœlo, et plausus cœlicolarum mereamur et obtineamus, etiam eo momento quo nos ab hominibus contemptos reputamus. Utique, licet hominum oblivioni traditus, possum, si volo, et ego sanctorum et angelorum movere admirationem. Admirabuntur me sancti et angeli, si, sicut Joannem, me viderint pium, castum, patientem, plenum caritatis; si viderint me generosum erga Deum, generosum erga superiores, generosum erga fratres.

Profecto suavissima est hæc cogitatio : Quantumcumque exigua sit vitæ meæ conditio, quantumcumque humilia sint officia mihi demandata, possum nihilominus cœlo fulgere.

## ALTERA MEDITATIO.

S. Joannes in cœlo triumphans erudit nos.

*Præludia eadem ac in præcedenti meditatione.*

Non pauci sacerdotes qui sanctitatem desiderabant, ad sanctitatem non pervenerunt, decepti a diabolo qui ad eos decipiendos usus est duplici errore. Circa hunc duplicem errorem nos erudit S. Joannes Berchmans.

1° Prior error est quo putamus sanctitatem consistere in rebus *extraordinariis*, in extraordinaria pœnitentia, in modo extraordinario orandi, contemplandi, agendi.

Illi boni sacerdotes, cum vident se ad ista extraordinaria minime aptos esse, incipiunt animum despondere, et contentos se dicunt si perveniant, ut simplices fideles, ad salutem æternam.

De gloriosissimo solio suo ad tales clamat Joannes :

« Erratis, fratres ; sanctitas minime consistit in rebus extraordinariis. Ecce ego inter sanctos adnumeratus sum, et tamen, dum vivebam, nihil extraordinarii feci. Id tantum curavi ut omnia facerem non negligenter, non perfunctorie, non tepide, sed ferventer, generose, fideliter, immo et *extra-*

*ordinarie* quoad intentionem, quoad affectum, quoad applicationem mentis, animi et corporis. Agebam quod agebam, sincere et ex toto corde ad majorem Dei gloriam. *Surgebam* mane, ut alii, sed promptissime, modestissime, piissime. *Meditabar*, ut alii, sed attente, reverenter, affectuose, practice. *Missæ intereram*, ut alii, sed cum vivida fide, cum ardenti amore. *Communionem instituebam*, ut alii, sed cum sanctis ardoribus et cum ingenti fructu. *Studiis vacabam*, ut alii, sed cum pura intentione et cum omnium virium applicatione. *Corpus*, ut alii, *reficiebam*, sed sobrie, sancte, magis intentus refectioni spirituali quam corporali. *Animum relaxabam*, ut alii, sed religiose et cum maxima aliorum ædificatione. *Patiebar adversa*, ut alii, sed patientissime, immo jucundissime, agens Deo gratias ex toto corde. Uno verbo omnia peragebam perfectissime. »

Magnus proinde est error sanctitatem ponere in operibus extraordinariis. Faxit Deus ut nunquam deinceps hoc errore detineamur a via sanctitatis!

2° Sed necesse etiam est ut caveamus ab altero errore quo aliquando sacerdotes et religiosos decepit inimicus noster.

Cum sanctitas non consistat in rebus extraordinariis, conatur diabolus nobis persuadere nihil *facilius* esse quam brevi

pervenire ad sanctitatem. Sed iterum ad nos de solio suo clamat Joannes:

« Erratis, fratres, putando rem facilem esse sanctitatem. In æternum stabit sententia Salvatoris: *Regnum cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud.— Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam. — Angusta porta... Arcta via ad vitam.* »

« Si ego sanctus evasi brevi tempore, id non sine violentia, non sine luctamine, non sine continua victoria de hoste relata, consecutus sum. Audiveram sanctum Ignatium dixisse Xaverio: *Vince te ipsum.* Conatus sum me ipsum vincere, singulis momentis, ut *bene* orarem, ut *bene* laborarem, ut *bene* tacerem, ut *bene* loquerer, ut *bene* servarem omnes regulas meas, etiam minimas, ut *omnibus* me facerem omnia, ut *omnes* fratres meos diligerem, ut *omni* superiori obedirem. Hominem *naturalem* constanter oppugnavi, ut fierem homo *supernaturalis.* Triumphavi utique, sed non sine certamine. »

Utinam id intelligamus omnes! Ut id *practice* intelligamus, descendere debemus ad particularia.

Procul dubio unusquisque nostrum dixit cum S. Joanne: « Ego volo fieri sanctus. » Quis autem dicendus est id serio velle?

1° Ille qui efficaciter vult in dies minuere peccata sua;

2° ille qui vult in dies minuere defectus suos ;

3° ille qui vult in dies melius et perfectius facere quotidianas suas actiones.

Talis proinde recte quotidie examinat conscientiam suam et frequenter confitetur ; utitur fideliter examine particulari, et ita satagit unamquamque actionem facere ac si ultima vitæ esse deberet.

O S. Joannes Berchmans, intercede pro me apud Mariam et apud JESUM, ut obtineam tandem gratiam ita instituendi vitam, ut hæc sit veluti continuus conatus ad sanctitatem adipiscendam.

## EXAMEN.

### Circa profectum in spiritu.

In via virtutis non proficere est deficere, non progredi est regredi, non tendere ad perfectionem est retrocedere.

Varia autem profectus signa ponunt magistri vitæ spiritualis, circa quæ convenit ut se identidem examinet pius sacerdos.

Primum signum est *peccatorum diminutio.* An jam pauciora soleo peccata committere?

Secundum signum est *refrenatio inordinatarum passionum.* An serios adhibeo conatus ad reprimendas insurgentes passiones ?

Tertium signum est *victoria tentationum.* An omni tentationi resisto prompte, fortiter, constanter, dextere ?

Quartum signum est *exstirpatio pravorum habituum.*

1° An nunc sentio inclinationem minorem ad peccata ad quæ antea facilius me impellebant pravi habitus ?

2° An majorem experior facilitatem ad resistendum pravis cogitationibus ?

3° An generalem sentio nauseam adversus peccata et imperfectiones quibus propter inclinationem inhærebam ?

Quintum signum est *modus* in dies *perfectior operandi.*

1° An opera mea jam non fiunt ex consuetudine, sed ob finem supernaturalem prævium ?

2° An fiunt sine admixtione peccati corrumpentis meritum ?

3° An fiunt tam accurate ac si fierent spectante aliquo cui natura placere cuperet?

4° An fiunt diligentius et perfectius quam antea ?

Sextum signum est *incrementum bonorum habituum.*

1° An promptius ac facilius fiunt opera bona ?

2° An fiunt cum minore repugnantia amoris proprii ?

3° An fiunt cum majore delectatione quam antea ?

4° An fiunt magis constanter, etiam tempore adversitatis ?

Septimum signum est *minor affectus ad mundana.* An sine difficultate me subtraho recreationibus, ludis, confabulationibus et aliis quibus solet animus mundanus delectari ?

Octavum signum est *major silentii* et *vitæ recollectæ cura.* An libentius quam antea me invenio solum cum solo Deo? An amo, an quæro solitudinem sanctam, non otiosam, sed in qua præparare possim arma adversus hostes et mihi comparare vires ad laborem ?

O mi JESU, quam verum est quod dixit servus tuus Augustinus: « Tamdiu non relabimur retro, quamdiu ad priora contendimus; at ubi cœpimus stare, descendimus ; nostrumque non progredi, reverti est. » Fac ergo, o mi Deus, ut deinceps eam de virtute in virtutem et ponam continuas ascensiones in corde meo. Amen.

# INDEX.


PAGINA

APPROBATIONES. EPISTOLA CARD. RAMPOLLA. I
PRÆFATIO . . . . . III
ALLOCUTIO AD SACERDOTES. . . . . V
EXAMEN STATUS GENERALE. Forma prior. . XIII
» » » Altera forma . . XIV
RECOLLECTIO I . . . . . I
Prima meditatio. De amore JESU. . . I
Altera meditatio. Præparatio ad mortem 5
Examen. Circa otiositatem . . . . . 7
RECOLLECTIO II . . . . . 10
Prima meditatio. De modo quo JESUS suum amorem probavit . . . . . 10
Altera meditatio. De morte nostra . . 15
Examen. Circa studium rerum sacrarum 17
RECOLLECTIO III . . . . . 19
Prima meditatio. De symbolo amoris JESU. . . . . 19
Altera meditatio. De morte amara aut jucunda. . . . . 23
Examen. Circa confessionem sacerdotis. 25
RECOLLECTIO IV. . . . . 28
Prima meditatio. De fructu amoris JESU. . . . . 28
Altera meditatio. Præparatio ad judicium. . . . . 32
Examen. Circa munus confessarii. . . 35
RECOLLECTIO V. . . . . 37
Prima meditatio. De corona spinea Cordis JESU. . . . . 37
Altera meditatio. De judicio sacerdotis. 41
Examen. Circa munus concionatoris. . 44
RECOLLECTIO VI. . . . . 46
Prima meditatio. De lancea et de vulnere Cordis JESU . . . . . 46

Altera meditatio. Præparatio ad judicium . . . . . 49
Examen. Circa directionem animarum. 52

RECOLLECTIO VII . . . . . 55
Meditatio. De Præsepio JESU . . . . 55
Examen. Circa recitationem breviarii. . 67

RECOLLECTIO VIII. . . . . 69
Prima meditatio. S. Franciscus Salesius angelus caritatis. . . . . 69
Altera meditatio. Applicatio sensuum ad mortem. . . . . 74
Examen. Circa celebrationem missæ. . 76

RECOLLECTIO IX. . . . . 80
Prima meditatio. S. Franciscus Salesius angelus pietatis . . . . . 80
Altera meditatio. Finis venit . . . . 84
Examen. Circa orationem in universum. 86

RECOLLECTIO X . . . . . 89
Prima meditatio. S. Franciscus Salesius angelus puritatis. . . . . 89
Altera meditatio. De quadruplici via. . 94
Examen. Circa meditationem . . . . 97

RECOLLECTIO XI. . . . . 100
Prima meditatio. De pietate sacerdotis erga Mariam. . . . . 100
Altera meditatio. De morte B. M. V. . 106
Examen. Circa pietatem erga Mariam. 108

RECOLLECTIO XII . . . . . 110
Prima meditatio. De imagine Cordis JESU . . . . . 110
Altera meditatio. De iis quæ displicent Cordi JESU. . . . . 116
Examen. Circa pietatem erga Cor JESU. 119

RECOLLECTIO XIII. . . . . 121
Prima meditatio. De conversione S. Petri. . . . . 121

Altera meditatio. De conversione S. Pauli. . . . . 126
Examen. Circa pietatem erga Ecclesiam . . . . . 129
RECOLLECTIO XIV . . . . . 131
Meditatio. Tu es sacerdos in æternum. 131
Examen. Circa modum agendi sacerdotaliter . . . . . 140
RECOLLECTIO XV . . . . . 142
Prima meditatio. Cor Mariæ beatissimum. . . . . 142
Altera meditatio. Cor Mariæ purissimum. . . . . 147
Examen. Circa puritatem cordis . . . 151
RECOLLECTIO XVI . . . . . 153
Prima meditatio. De S. Raphaele Archangelo . . . . . 153
Altera meditatio. De inferno . . . . 158
Examen. Circa imitationem angelorum. 161
RECOLLECTIO XVII. . . . . 165
Meditatio. De recordatione sanctorum. 165
Examen. Circa pietatem nostram erga animas purgatorii : . . . . . 176
RECOLLECTIO XVIII . . . . . 179
Prima meditatio. De Immaculata Conceptione B. M. V. . . . . 179
Altera meditatio. De S. Francisco Xaverio. . . . . 185
Examen. Circa curam ecclesiæ et rerum ad ecclesiam pertinentium . . . . . 188
RECOLLECTIO XIX . . . . . 190
Prima meditatio. De SS. Nomine JESU. 190
Altera meditatio. De brevitate vitæ. . 195
Examen. Circa usum temporis. . . . 198
RECOLLECTIO XX . . . . . 200
Prima meditatio. De Regibus Magis. 200

Altera meditatio. De fine nostro. . . 204
Examen. Circa humilitatem sacerdotalem. . . . . 207

RECOLLECTIO XXI . . . . . 210
Prima meditatio. De imitatione S. Joseph . . . . . 210
Altera meditatio. De morte S. Joseph. 216
Examen. Circa pietatem nostram erga S. Joseph . . . . . 219

RECOLLECTIO XXII . . . . . 221
Prima meditatio. De institutione S. Eucharistiæ . . . . . 221
Altera meditatio. De cruce D. N. J. C. 226
Examen. Circa pietatem nostram erga S. Eucharistiam. . . . . 230

RECOLLECTIO XXIII . . . . . 232
Prima meditatio. De patrocinio S. Joseph . . . . . 232
Altera meditatio. Quid sit bene vivere. 236
Examen. Circa modum celebrandi mensem marianum . . . . . 239

RECOLLECTIO XXIV . . . . . 241
Prima meditatio. De iis quæ Maria exspectat a sacerdote . . . . . 241
Altera meditatio. De recordatione mortis. . . . . 246
Examen. Circa recordationem mortis. . 251

RECOLLECTIO XXV. . . . . 253
Prima meditatio. De S. Joanne Berchmans. . . . . 253
Altera meditatio. S. Joannes in cœlo triumphans erudit nos. . . . . 258
Examen. Circa profectum in spiritu . . 261

Typis Societatis Sancti Augustini, Desclée, De Brouwer et Soc.

AU
TITLE
Series Pri
DATE DUE
STORAGE -
45208